Compendiaria PRAECIPVARVM RERVM TVRCICARVM RELATIO

Septem distinctis capitibus TVRCORVM ORIGINEM, OECONOMICA, ECCLESIASTICA ET POLITICA; SEPTEM ITEM PRINCIPUM, septem Regum, & septem Imperatorum res gestas historiophilis exhibens.

1835.

Ex diuersissimis autoribus collecta Per

M. LAVRENTIVM RISEBERGIVM Ecclesiasten Gardelegensem.





HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno M. D. XCVI.

1596.

3



TVRCVS

ἀναγραμμα]. (ἀναγραμμα)

TV CRVS

VT CRVS.



Vrce caueto tibi Christumq́; lacessere cessa:
Næ TV CRVS franges, Turce, caueto tibi.
Nostra cohors pœnas meruit: tu Turce flagellum
Es DOMINI? Noli verba superba loqui.
Aut VT CRVS frangas, Christum de sede potenti
Deturbare cupis? næ laceras stimulum.

ALIVS.

MAHOMETES

ἀναγραμματικῶς

HAMO SEMET.

Quid Mahomet? Hamus. Quidnam capit? agmina Christi.
Quæ merces? HAMO SEMET in ima trahit.

D. Christophorus Pelargus Generalis
Marchiæ Brandeburgensis
Superintendens.

NOBI-



NOBILITATE GENERIS, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRAESTANTISSIMIS DDN. DN. LVDOLPHO ET Dn. IOHAN GEBHARDO ab ALVENSLEVEN fratribus germanis, Dn. IOACHIMI ab ALVENSLEVEN p.m. filijs; Et Dn. GEBHARDO, Dn. CHRISTOPHORO & Dn. VVOLFGANGO-FRIDERICO ab ALVENSLEVEN, Dn. VALENTINI ab ALVENSLEVEN p. m. filijs:

AC

AMPLISSIMIS ET ORNATISSIMIS VIRIS, SAPIENTIA, VIRTVTE ET DIGNITATE PRAESTANTIBVS DDN. Consulibus & Senatoribus Reipublicæ Gardelegensis

Dominis & Patronis suis omni animi subiectione colendis,

Gratiam & pacem in Christo.



DAnielis vaticinia publicè pro concione explicari audiens in inclyta academia VVittebergensi, & patria mea, Nobiles, Magnifici & Clariss. viri, non solum calamo excepi, sed & D. Philippi, itemq; Iouij & aliorum scripta hi-

ſtorica euolui, & in compendium redegi, quæ de Blaſphemo regno Turcico cognitu mihi viſa fuere neceſſaria, vt quando occaſio eſſet populum ad vitæ ſanctimoniam & preces ardentes in iſtis tumultibus bellicis excitãdi, quod nobis verbi miniſtris cum ex officio tum ex ſæpiùs huc miſſis illuſtriſſ. principis Electoris Brãdeburgenſis, Domini noſtri clementiſſ. literis & mandatis incumbit, argumentum & materiam haberem in promtu, nonnullorumq; ſtulticiam ſeriò arguerem, quorum voces non obſcurè præ ſe ferebant, Non eſſe vſque adeo miſerum & graue ſub Turcis viuere, cum ſubiugatis hac tempeſtate Chriſtianis autonomiam relinquerent in religione, & tolerabile tributum imponerent.

Sed tales toto cœlo, quod dicitur, aberrare, cognoui & perſpexi in hoc ſtudio verſans, & Turcicum iugum cane peius & angue fugiendum & ſeriò deteſtandum, dum in illis furoribus perdurat, animaduerti; & honeſtam mortem pro Chriſto & patria longè ei præferendam eſſe, duxi.

Conſtat enim hoc impium regnum palàm conari delere nomen Filij Dei Mediatoris & Sal-

uatoris

uatoris generis humani vnici. Coburgi in arce aliquādo fuit Turcus (vt Seniorem VVinshemium sæpe retulisse ex parente audio) qui aliquo modo didicerat linguam Germanicam. Hic quoties audiuit Christum nominari DEVM & Dei Filium, toties ita exarsit iracundia, vt parum abfuerit quin interficeret hoc asserentes. Coacti igitur sunt reliqui ministri ipsum è medio submouere, ne alijs vim inferret & manus crudeles in christianorum sanguine tingeret. Tam infesta est gens illa nomini Filij Dei in quem nos credimus. Quod obijcitur in Europa tamen adhuc passim sub imperio Turcico reliquas esse & tolerari Ecclesias, sit ita. Sed simul consideremus quàm crudeli & barbarica seruitute illi sint oppressæ.

Liberum religionis Christianæ exercitium quale esse potest, vbi studia literarum coli non possunt & sunt Ecclesiæ sine Doctoribus, quamuis quidam asserant studia illic haberi. Crebrò igitur accidit vt multi paulatim nomen Christianum abijciant. Infantes pueri & puellæ è complexu parentum abripiuntur atq; ad Mahometicas impietates discendas & propagandas adiguntur,

 tur,

tur, & contra ſanctum baptiſmi ſui fœdus Chriſto in cœlis maledicere, vt iam tot ſeculis gens impia aſſueuit, docentur.

Hæc longè triſtiora eſſe AEgyptiaca ſeruitute & Babylonica captiuitate, res loquitur ipſa.

De his & alijs ſæpius hac tempeſtate cum patre meo iuxta prouerbium, Vbi dolor, ibi manus, conferens, & in conſilium adhibens clariſſ. virum Dn. Henricum Laurentij Coſ. Gardelegenſem affinem meum ceu alterum parentem colendum, qui pro excellenti ſua in hiſtorijs cognitione non ſolum libros & eruditam ſuam operam quotidie mihi communicauit, & ſtudium hoc egregiè adiuuit; ſed etiam autor mihi extitit, vt quæ in priuatum vſum collegeram, publica fieri permitterem, nec non alij etiam idem vrgerent, vt ex nonnullorum Epigrammatis adiunctis videre eſt; refragari illis nolui, ſtatuens me iam ſatis munitum & horum patrocinijs tutum fore aduerſus minùs dextra quorundam iudicia, qui mihi inſanabile Cacoethes ſcribendi & alia, obijcere poſſent.

Vobis autem, nobiliſſimi Domini ab Aluenſleuen,

leuen, Mecœnates obſeruandi, hunc exiguum libellum offerre & dedicare volui, non ſolum vt veſtro patrocinio, de quo dixi, labor meus, vt qui multum huic ſtudio tribuitis, à maleuolorum, ſi qui ſunt, friuolis calumnijs vindicaretur: quæ talium dedicationum cauſſa non eſt poſtrema; ſed vt potiſſimum me pro plurimis beneficijs hac qualicunque ratione gratum oſtenderem. Nam liberalis illa librorum ex veſtra Erxlebiana Bibliotheca communicatio, ad hanc opellam pertexendam, plurimum emolumenti mihi attulit.

Ad vos autem Patres patriæ meæ, quod attinet, quibus rationibus veſtris dignitatibus deuinctus ſim, non facilè dixero, vt qui numquam non in conſpectu habetis Eſaiæ illud: Et erunt Reges nutricij tui & reginæ nutrices tuæ: reginæ, id eſt reſpub. ſeu ciuitates præbeant hoſpitium & alimenta Eccleſijs & foueant Doctores & diſcipulos doctrinæ de DEO & earum artium quæ Eccleſiæ neceſſariæ ſunt, vt commentarij verbis vtar. Pro innumeris igitur beneficijs hanc qualemcunque gratitudinis declarationem pro candore veſtro in meliorem partem interpretemini.

Quod

Quod superest, inuocemus Filium DEI Dominum nostrum IESVM Christum, vt ipse tueatur, quod & facturus est, nomen & gloriam suam, & Turcicum imperium, quod extremum fore ex vaticinijs Prophetarum & libri apocalypsis constat, illustri suo ad iudicium extremum aduentu, penitus tollat ac destruat, & Ecclesiam suam liberet. AMEN.

Vestris dign. & amplitud.
studiosè deditiss.

M. Laurentius Risebergius Ecclesiastes Gardelegensis.

Anno reparatæ salutis
QVIs pro Me eXIbIt? tV DeVs aVXILII.



EPIGRAM-

EPIGRAMMATA AMICORVM, IN COMPENDIVM HISTORIÆ Turcicæ M. Laurentij Risebergij.

HIC Rhodus hic Rhodope est. hic cursibus hic opus armis,
Si cupias hostes præcipitare iugis.
En sua quàm iactent, en quã iuga celsa! sub arctis
Quos priùs inclusos scribitur isse vijs.
Nunc vires traxêre suas de crimine nostro,
Et caput in Mundi regna tulêre suum.
Non opis est nostræ tantas inuertere sedes,
Non in mille manus sufficit vna manus.
Fulmine turbentur, mergantur flumine Lethes;
Et votis pereant cœliuolisq; rotis.
Fiet. & ô fiat tandem. de montibus istis
De solio recidant protinus eq; solo.
Tela age nunc telis, velis age vela, vel armis
Arma opponamus nostra, Preces & Lacrumas.
Proditur hem nobis, in nos qui prodijt hostis:
Vt tumor exoritur sic furor emoritur.
Hostem nosse suum confert; qui nouerit, illum
Oderit. ille sacer corde Riphæus erit.

Christophorus Pelargus Doctor ac Professor Theologiæ in academ: Francofordiana ad Oderam, & Generalis totius Marchiæ Superintendens.

ALIVD.


Edula sicut apis multis de floribus agri,
Collectum dulci nectare stipat opus,
Quod simul est alimentum ægrisq; medela salubris,
Humano generi commoda mille ferens:
Noster ita euoluit complura volumina scriptor,
Autoresq; bonos nocte dieq; legit.
Conficit ex variis scriptis compendia rerum.
Perspicua historias & breuitate notat.
Inseruitq; aliis, quos rerum copia terret,
Impedit & multos voluere cura libros.
Alterius quærit sic commoda candida virtus,
Sic vos non vobis mella paratis apes.
Cedite degeneres fuci, qui carpere tantum
Nostis, sed dignum promere laude nihil.
Conuenit historiæ studium discentibus æquè,
Hoc sine ieiunus Doctor in arte sua est.
Hoc quoq; scripturæ studio coniungere sacræ
Versantem in Christi relligione decet.
Exposita historico sunt ordine Biblia Sancta,
Hunc seruet si quis sacra docere velit.
Negligit hoc, aliis si quisquam aut exprobrat illud,
Is sanè veræ est non pietatis amans.
Hortabatur ad hoc studium Reineccius olim
Autorem, ipsius quod probat authographon.
Vrget idem Henricus Laurent I nomine auito
Clarus, in vrbe bonus Consul, & Historicus.

Hic

Hic operam & libros confert, stylum at exhibet alter,
Est vtriusq; suo dignus honore labor.
Vir bonus est commune bonum, cui publica semper
Res cordi est, Patriæ prosperitasq; suæ,
Sedulus hanc ornare cupit, curamq; fidelis,
Dum viuit, seræ posteritatis habet.
Huic studio inuigilans autor, quæcunq; relatu
De Turcis legit digna, referre studet.
In quibus autores variant, conferre laborat,
Historicaq; cupit conciliare fide.
Si sed vbiq; satisfacit haud simul omnibus, eius
Sedulitas tamen est non reprobanda bonis.
Omnia sint ingrata licet, de pane lucrando
Et multi quamuis hæc studia esse negent:
Attamen humanæ par est prodesse saluti,
Quod poscit pietas, Gloriaq; ipsa DEI.
Aspicis hic Scythicum quibus est rationibus auctum
Imperium, cuius Turca tuetur opes.
Quæ fuerint huius tetri primordia regni,
Et qui progressus, qualia bella Ducum.
Quàm latè extendit se nunc, quæ Regna subegit,
Romani Imperij diminuitq; decus.
Aduersus sanctos etiam quàm bella cruenta,
Gesserit, atq; ex his sæpe Trophæa tulit.
Pannonia experta est quàm tristia damna tot annos,
Terrestris quondam quæ paradisus erat.

Sic meruère hominum cumulatæ crimina culpæ
Olim, nunc eadem nos quoq; damna manent.
Cum fastidiret sacri mysteria verbi,
Accumularet atrox orbis & omne nefas.
Omnia dissidiis plena essent, vanaq; verbo
Præferrent cerebri somnia quisq; sui.
Arius inficeret blasphemo dogmate multos,
Spargeret hinc virus Nestoriusq; suum:
Extitit execranda cohors Mahometica, mundum
Ingratum replens Impietate sua.
Nunc non dissimilis status est, eadem ergo sequentur
Nostrosq; inuadent publica damna thoros,
Omnia dissidiis loca plena, furoribus aucta,
Cœlestis mannæ Nausea corda replet.
Simplicis & verbi perstant fastidia, Docti
Dogmatibus ludunt ceu pueri astragalis.
Pestis auariciæ, lucri ex re quaq; cupido,
Ebrietas, Luxus, fastus & ambitio,
Cum vitiis aliis, nostris dominantur in oris,
Ridetur, quisquam si meliora monet.
Quæ spes nunc reliqua est? nulla est, conuersio vera
Nî sequitur, legi & congrua vita DEI.
Vitam emendemus moniti atq; à turpibus ausis
Diuini flatus abstineamus ope,
Pontificum summi linquant Idola Monarchæ,
Nec Christi membris hospita tecta negent.

Nos quibus exorta est veræ lux alma salutis,
Moribus ornemus dogmata sancta piis.
Addemusq; preces conuerso è pectore fusas,
Vt Dominus Scythicum dissipet ipse iugum.
Turca ferox tandem crudelibus excidat ausis
Cæsaris & nostri concidat ante pedes,
Tot constat seclis nullos impune tulisse,
Lædere qui soliti sunt tua iura, DEVS.
Longè alios omnes supereminet iste Tyrannus,
Qui nostras etiam nunc furit ante fores.
Te te blasphemo verbumq; tuum impetit ore
Christe DEVS, verum te negat esse DEVM.
Te supra extollit Mahometi putre cadauer,
Prædonem iactans se antetulisse tibi,
Incute vim dextræ, tibi qua contraria deles,
Blasphemum cornu disijce, frange, rape.
Sic pia fata ferunt, sunt hæc oracula vatum,
Perdendum subitis cladibus esse Gogum.
Hac spe firmati, socij, contendite in hostes
Coniunctis animis, cætera Christus aget.
Sic tandem occumbet scelerati Bestia regni,
Prædator raptas denuo perdet opes.
Sed non sufficiens si pœna est temporis huius,
Nec par vlla istis ausibus ira venit.
Supplicium luat æternum detrusus in orcum,
Ereptos verò nos tua Regna beent.



Maturato diem quem tandem Christe Redemptor
Et veniant summo gaudia summa die.
Interea in terris paruam defende Sareptam,
Quæsumus, & lacerum pastor ouile tege.
Aduersus Turcam nostris victoria cedat,
Imperij seruet Teutona terra decus.
Alter & Hunniades, Daciæ sit præses in oris.
Et victor Scythicas arceat inde feras.
Inq; fugam versi cogantur vertere terga
Fœdifragi Thraces, perfidus atq; Sinon.
Personet hîc tua vox, fiat tua sancta voluntas
Nostraq; sit verbo consona vita tuo.
Donec in aduentu postremo quisq; reportet
Pœnas, vel studiis præmia danda pijs.

M. Iohannes Scharlach Pastor
Gardelegiensis.

ALIVD.


I Mahometigenæ satagis cognoscere gentis
Ortum, progressum, dogmata, bella, duces.
Perlege quæ varijs Risebergius eruta scriptis,
Hoc compendiolo congerit exiguo.

Dissidiis

Dissidijs cernis nostris, & acinace sæuo.
Exorta, hæc Getici stareq́; regna canis.
Audis in Christum diras, conuitia Christos
Blasphemas voces, stupra nefanda, dolos.
Insuper excisas vrbes, cultissima regna,
Cumq́; focis aras, diruta templa, scholas.
Ergo si patriæ superest, si cura salutis
Vlla tuæ, sobolis siue nepotis amor.
Vota precesq́, DEO persolue, Ecclesia Christi
Vt stet salua, domus, mœnia, templa, scholæ.
Christiadum sedes, ne Turcica bellua vastet,
Immiti nec opus subdere colla iugo.

Valentinus Beneke Pastor
Erchslebiensis.

ALIVD.

LAmpada Phœbæam mundo negat ille, necesse
Conscribi historias qui negat esse bonas.
Nam veri lux est, vitæ sapiensq́; magistra,
Quæ facienda iubet, quæ fugienda vetat.
Macte ergo Riseberge, cruenta quod acta Getarum
Christiadum alueolos qui sine fine premunt.
Colligis, ad seros satagisq́; referre nepotes,
Hinc sit vt his ardens calcar, & ansa precum.

Cadmæo-

Cadmæos tandem DEVS hos exstirpet vt hostes,
Agmina nec per eos sancta perire sinat.
Tu sic annales veros conscribere perge,
Sic tua post obitum fama perennis erit.

M. Arnoldus Bierstedius patriæ
Consul.

ALIVD.


Tile nosse suas vires, & nosse sodales,
Hostis item mores, vtile nosse sui.
Agnita consilijs adeò auxilijsq; reguntur:
Consilium ridens auxilio careat.
Qui cupis ergo tuas vires nouisse, subinde
Diuinæ legis conspicito speculum.
Si vitare voles pœnam, & viuere vitam
In cœlis, vitam hic corrige, liber eris.
Illum pœna manet, qui non resipiscere curat:
Sed veniam culpæ qui resipiscit habet.
SI nouisse cupis vires, moresque sodalis,
Inspicito temet, tum tua facta vide.
An facis hoc alijs, tibi quod fieri cupis olim?
Anne timens Dominum diligis vsq; tuos?
Propterea inspicito mentem quæ conscia facti,
Et dices: fiet quod DEVS ipse refert.
Væ tibi qui spolias, quoniam spoliabere rursus:
Rem, famamq; alijs, non tibi, amice, rapis.
DENIQVE si cupies hostis cognoscere mores,
Et melius vires vt repulisse queas.
Hostem scis Satanam mendacem ore Hæreticorum
Interfectorem Turcico in ense, tuum.

Hæreti-

Hæreticorum igitur mendacia tollere disce,
Scripturis sacris non dubitante fide.
Sed si Turcorum gladios, artesq; feroces
Historiæ cupidus discere, amice, cupis.
Exiguum hunc librum exiguo tu tempore volues,
Quem tibi dat Reisberg compater ille meus.
Exiguus liber exiguo non tempore scriptus,
Vtpote collectus pluribus ex alijs.
Est verum: innumeri inueniuntur vbiq; libelli
Turcica qui tradunt mollius, & melius.
Teutonico & Latio sermone, adeoque Pelasgo
Conscripti, nec non Turcico, & Italico.
Si vacat ergo, illos legito, modo habere queas si:
Si non: hunc librum perlegito exiguum.
Quod cupis id capies nisi me mens fallit, amice,
Sed capito gratus, candidus atque lege.

Theodoricus Mundius Consul.

Munda me miserum MVNDVM mundi mediator
Mortiferam massam mundificato meam.

ALIVD.



Istorias manet vtilitas sua; quiq; laborat
Hasce legi, & sciri posse, fauore viget.
Hinc mores, hinc vita regi, velut indice certo,
Vitariq; genus criminis omne potest.
Quæ fugienda notat, quæ sint facienda fidelis
Eligit, ante oculos vtraq; lector habet.
Illa cauet nocitura videns, amplectitur vltrò
Hæc, vt quæ fructus sint habitura suos.

Tum quia fert hominis melior natura subinde
Scire quid expediat, quidq; nocere queat.
Ac didicisse quid hic gens barbara tractet, & illic,
Qui mores, studium, relligioq; viris.
Dissimilesq; solet mirari conscia ritus,
Quos foris, atq; domi lege iubente colunt.
Pronior hinc sese oblectat, discendoq; fallit,
Tempora, quæ secum tædia sæpe ferunt.
Mentem quippe velut pictura pascit inani,
Atq; facit curæ non meminisse suæ.
Quinetiam exiguo spatio (mirabile dictu)
Tot mundi partes mens peragrare potest.
Nec solum peragrare, sed & quid vbiq; geratur
Perlustrare, breui cunctaq; obire mora.
Vt dubium, num se percurrere posse viator
Speret, iter faciens nocte dieq; suum.
Nedum rite queat percurrere singula visu
Præsens, & solo suetus inesse loco.
Sic quoniam fauet vtilitas, & iuncta voluptas
Historijs, quis non his studuisse velit?
Certè non perdit tempus, quemcunq; legendo
Rerum gestarum voluere scripta iuuat.
Cum primis decus eximium, laudemq; meretur,
Et decet hoc studium præmia iusta sequi.
Ordine qui studet historias disponere iusto,
Et sparsim quæ sunt vndiq; lecta notat.

Inde

Inde notata breui commento corpus in vnum
Contrahit, hac operam dans ratione rudi
Ergo tibi merito RISEBERGI docte ferantur,
Laus, decus & studio præmia digna tuo.
Turcica qui scriptis mandare negotia pergis,
Et quæ sint genti iura, fidesq́ue doces.
Vt constet qualis nostri sit nominis hostis,
Nil nisi barbaries quem fera semper habet.
Et precibus magis incumbamus ad æthera fusis,
Quo nos à tanto protegat hoste DEVS
Virtutumq́ue perennis amor, pietatis & ardor
Sit nobis cordi, vitaq́ue labe carens.
Perge sacris studiis peregrinas addere malle
Historias illinc fama perennis erit.
Illinc fama perennis erit tibi, nullius vnquam
Inuidiæ stimulis quæ violanda manet.

Nicolaus Gruphenius
Consul.

ALIVD.

SCilicet id votis, affinis, sæpè petiui,
Temporis ex nostri scriptoribus vndiq́; promtis,
Exiguo hoc quod te video fecisse libello.
Hinc etenim video patula quod ceperis aure

Dicta mea: hiſtoricum ſtudium coniũgere ſacræ
Scripturæ ſtudio gaudes, patienſque laborum
Dum facis hoc, illud non negligis: His recreare
Me ſoleo interdum, triſteſq́ue repellere curas
Hiſtoricis ſcriptis: Quia ſed iam curia curas
Ingeminat mihi, tũ me cura domeſtica torquet,
Ergo tibi hiſtoriæ cupido modo lampada trado,
Atq́ue labore tuo fruar, hac methodoq́; decenti,
Temporis exigui vt ſpatio percurrere poſſim
Turcorum hiſtoriã: memoriq́; reuoluere mente,
Quæ prius ex alijs teneo alta mente repoſta.
Caucaſus vt genus hoc hominum diffuderit orbis
In reliquas partes Aſiæ, Europæq́ue, Africæq́ue:
Atq́; ita (ceu quondam diuina voce Propheta
Prædixit Daniel) quali ratione, vel arte
Blaſphemum hoc cornu tria cornua deturbârit
De Romanorum bis quinis cornibus: atq́ue
Qua ratione domus ſobolem, vxoreſq́; gubernet:
Qua ratione ſuum Mahometum tollat ad aſtra
Præferat, & IESV Chriſto qui ſolus, & vnus
Eſt verum, via, vita, ſalus, ſapientia noſtra:
Qua ratione colat genere & virtute celebres,
Iudicium & leges veneretur, tempora ſignet:
Quid

Quid dux, quid princeps, quid Rex, quid & induperator
Quilibet eximij modo gesserit, ordine monstras
Exiguo hoc libro. Quare mea percipe porro
Dicta: typis librum mox tradito, publicus esto.
Inuenies multos auida qui mente reuoluent,
Et candore pio optabunt tibi fata secunda.

Henricus Laurentius
Consul.

ALIVD.



Heu Turca ferox fidei sæuissimus hostis,
Non tantùm Helladias occupat arte plagas:
Ast Asiæ populos, terræ & loca lata subegit,
Subiecit Lybiæ splendida regna sibi.
Pars magna Europæ, Ægæi latera aspera ponti,
Turcarum penitùs sub ditione iacent.
Fundamenta DEO posuit quæ prisca vetustas,
Sacrilegá (infandum) deijcit ille manu.
Sedibus à propriis Musarum Numina pellit
Intrant in quarum fraus, Venus, arma, lares.
Pannoniam totam possit quò vincere, cunctas
Extendit vires Turcica turba suas.

Vnde trahant ortum, qui mores, vita sit, ecce
Historicum noster prodidit autor opus.
Vnde breui scripto poterit cognoscere Lector,
Quæ passim variis sparsa fuêre libris.
Ceu decus hortorum Laurus, gratissima Phœbo,
Crescit, non vllo deijciturq́; Noto:
Frondibus at semper formosis læta senescit,
Et virides vmbras suppeditare solet:
Sic tua LAVRENTI monumenta perennè virebunt,
Nec metuent morsus, liuide Mome, tuos:
Historia & præsens viuet, de gente nefanda,
Scripta, colit reprobi quæ Mahometis opus.
Christicolæ ite, preces armis miscete parati,
Noster ab horribili gente triumphus erit.
Vtq; Dionæas dulcis Philomela volucres,
Turcica pelletis semina Marte pio.
Sed tibi RISBERGI, quem virtus iungit Olympo,
Pro studiis grates postera turba canet.
Viue valeq́ue, tuos felix pertexe labores,
Viue diu, vt patriæ commoda plura feras.

Bartholomæus Bylouius Seno ph.B.
& Poëseos Candidatus.

ALIVD

Nostro misera Ecclesia seculo!
O multis nebulis tristitiæ obsita!
O latratibus obnoxia feruidis
TVRCI & DAEMONIS impij!
Horum quis caneret sæuitiem canum?
Horum quis fugeret sat duplices dolos?
Sunt ambo Hectoreo cedere nescij
Pelidæ & stomacho graui.
Hem tu, tu RISEBERGI, scelerum patres
Infandos canis, ac omnigenam doces
Turbam, quæ fugiendi ratio hostium
Horum decipulas siet.
Iras Mysta doces DAEMONIS efferas
Euitare: siles atque tyrannidem
Nunquam, ast amplificas, vt redeant citò
Ad frugem reprobi bonam.
Nunc de belligeris, docte vir, horridis
Turcis, exiguo fine libidinum
Discernunt auidi qui scelus, & nefas,
Et fas, dicere præparas.
O gratum exit opus, non sine gloria
Contextum, monimentum ære perennius

Et certè positu pyramidum altius
Regali, & preciosius!
Hoc non imber edax tempore quolibet
Prorsus diruet, hoc non Aquilo impotens.
Quare, si, RISEBERGI, inuidiâ truci
Maior fortè morarier
In terris odio est; per liquidum æthera
Pennis instar auis, non moriens, eas.
Rectè si video, cruribus asperas
Pelles crescere dixerim.
Iam, iam, credito, muteris in alitem
Album: per digitos ac humeros tuos
Læuis pluma videtur benè nascier.
Felix ocyor Icaro
Tandem Dædaleo nunc precor hoc libro
Visas littora germana tuo. Diu
Vitabis Libitinam: Patrio solo
Laus, & fama sies. Vale.

Nicolaus Rhodenius,
Soltquellensis.

RELATIO-

RELATIONIS RERVM TVRCICARVM

CAPVT PRIMVM,

De Origine & appellatione.

CAucasus montium Asiæ parens, solo non sufficienter fertili, fœcundissimos suos indigenas Scythas, ex Septentrionali suo angulo, in reliquas mundi plagas, veluti alter equus Troianus, per suas angustias (quas portas vocamus) effudit. Alios quidem versùs Occidentem per Sarmaticas portas: qui Amazonibus, callidè copulati, Tanaim, Tyramq; traiecerunt, & Scythas Europæos, hoc est, Polonos & Vngaros, procrearunt. *Triplices Scythæ.*

Alios versùs Orientem per Sogdianas portas: qui circa Cheselum Sogdianos, Tataros, vicinosq; Scythas Asiaticos plantarunt.

Alios deniq; versùs Meridiem per Caspias (quas Alexandrum Magnum olim contra Scytharum eruptiones & incursiones ferratis trabibus obduxisse legimus) & Armenias portas: qui initiò solito more à depasto ad depascendum locum carris seu mapalibus oberrarunt (vnde nomen Turcorum acceperunt) donec viris & viribus aucti auxiliares copias Hormisdæ (al. Orimasdæ) Persarum regi promittere possent.

Verùm in itinere Hormisdam cædunt, Persasq; in Saracenorum potestatem deuenisse audientes, in Corasenæ & Hircaniæ finibus substiterunt: & loci fertilitate capti *Bella Turcorum & Saracenorum.*

vrbes & regiones ſibi ſubijcere cœperunt, pertæſi nimirum oberrationum, & mutationum ſoli.

Turci & Perſæ.

Mahometus autem, Perſarum rebellium Pſeudorex, Saracenorum iugum excuſſurus, implorato auxilio Tangrolipicis Mucaleti capitanei Turcorum, tria millia ſagittariorum adducentis, Piſſariſſum Arabiæ regem vincit, & ampliaturus ſuum regnum contra Saracenos, rogat Tangrolipicem, vt etiam vlteriùs contra Indos proficiſcatur. Hoc cum Turci facere recuſarent, non ſolùm vt canes abiecti ſunt, quando ſtipendia ſua popoſcerunt, ſed etiam tranſitus per Araxim eis eſt denegatus, quo minus redirent ad ſuos.

Indignabundi itaq; Turci prima vice ſecedunt, & iniuriam deuorant. Mahometus autem Turcos etiam ſibi vi ſubiecturus, quod precibus obtinere non potuerat, eos ex improuiſo adoritur. Verùm dum ad Aſpochanum vrbem ſubſiſtit, & per Curbantidis ſolitudines dubitat Turcos vlteriùs quærere, à Tangrolipicis copijs obruendis obruitur, & prima vice ſuccumbit: recollectis nouis copijs ei ſecundò obuiam procedit: aſt ipſemet Mahometus equo collapſo collum frangit, reliqua cohors Tangrolipicem Perſiæ Sultanum ſalutat. Mox Tangrolipix per Cucumetum nepotem ſuum etiam Arabes ſibi ſubijcit, & Arabum Sultanus creatur.

Saraceni palmam præreptam ægrè ferentes, Turcos aperto adoriuntur bello. Verùm malleus, quod dicitur, ad incudem, & quidem per non paucos annos: donec tandem conuenerunt (vtpote attritis vtrinq; viribus) vt Turci Saracenorum tributarij, Saracenicam religionem (Mahometiſmum ſeu Alcoranum) Saraceni Turcorum nomen ſuſciperent.

Reconciliatio prima inter Turcos & Saracenos.

Poſt

Post aliquot annos, Saracenis per mutuas discordias, & à Diogene Græco Imperatore attritis, Turci regnũ Asiaticum sibi rapuerunt, & Principes sibi ex suis ita crearunt, vt tamen regium titulum Calyphis relinquerent.

Elapsis centum nonaginta duobus annis, Tatari expeditionem nouam in Europam suscipiunt, pars eorum Boleslao Pudico Polonorum rege victo Cracouiam, inde Henrico Pio Silesiorum duce ad Lignitium profligato Silesiam incendijs vastat, & vastabunda per Morauiam penetrans suo regi, in Vngaria agenti, se sistit. Coniunctis itaq; viribus rex Tataricus hac expeditione etiam Turcos & Saracenos, mutuis dissidijs implicitos, sibi subijcit. Saraceni Turcos, vt fœderis violatores, repudiant, & pristinum suum nomen recipiunt. *Turci Tataris subiecti.*

Turci verò suum nomen, vt notum, & Saracenorum religionem, vt salutarem, retinent: & paulò post Tatarici tributi pertæsi, vicinos Græcos excursionibus, & deprædationibus lacerant, si vel vires recolligere, ad excutiendum Tataricum iugum, queant, vel alienis in regnis hospitium vi, & armis occupent. Neque etiam eorum votum euentus fefellit. Nam inter Græcos vrbes & regna occuparunt, & sibi duces constituerunt. *Principes seu Duces Turcici.*

Cùm autem circa annum Domini 1280. Homar (*seu Omar*) Persicus Theologus nobilissimus cum Halino (*seu Hali*) socio, Alcoranum non solùm explanaret, verùm etiam redargueret, adeoq; crassiora mendacia, & aniles fabulas redolentia narrata expungendo, honorificè & placidè corrigere conaretur, acre mouit certamen. Alcanoristæ enim litteram etiam absurdam, & blasphemam mordicùs retinent, & defensant, nouoque nomine se Musulmannos, id est, Orthodoxos (*quo nomine Turci hodiè admodùm* *Reformatio Alcorani.* *Musulmani.*

Sophi. *gestiunt vocari)* appellant. Homaristæ verò contra Alcanoristas istos, Sophi hoc est, Reformati dici volunt. His Persæ, illis Turci in hunc vsq; diem subscribunt. Hodiè verò inter eos quàm plurimi sunt Ammanitæ, qui videlicet amplectuntur religionem Ammæ, id est, Præto Iohannis.

Reges Turcici. Hanc Theologorum logomachiam (vt sic vocem) arripiunt Duces Turcici, vt optatam occasionem noui belli sacri, & relictis Persicis Homaristis *(quibus bellum indicturos se simulabant)* in mutua viscera ferrum côuertunt, præcipuè verò quatuor familiæ nobiliores de primatu rixam, gladijs ac telis dirimendam, mouent: mutuis vulneribus confecti exterorum auxilia quærunt *(vnde adhuc hodiè in Turcica aula tam diuersissimarum & remotissimarum regionum lingua frequens est)* donec tandem circa annum nostræ salutis 1300. familia Oguciorum palmam obtinuit, & quidam vir virtute, & robore, vt ingenij acumine, & calliditate præstantissimus, obscuriore parente *(& tamen ex nobili Oguciorum familia, vnde Spurium eum fuisse puto)* natus & à patria Othomanus dictus, *(vero autem nomine* Delinus *seu* Gasinus) primus Rex Turcorum est creatus.

Imperatores Turcici. Regium hunc titulum Mahometes, eius nominis secundus, circa annum reparatæ nostræ salutis 1453. ampliauit, & primus Cæsar seu Imperator â suis copijs imperio Byzantino & Trapezontio subacto, salutatus est.

Hanc nostris diebus, non solùm maiestatem Turcicam audimus, sed etiam potestatem Othomanicam sentimus, non absq; irreparabili damno. DEVS nostri misereatur, pugnetq; pro nobis, & excitet suo nos Spiritu, ne Turcicus ille Vlysses Alcorano suo Arianismis referto, Israëliticum Palladium, Thronum Gratiæ, & intercessorem nostrum Dominum IESVM CHRISTVM ex templis Sancti

Spiritus,

Spiritus, cordibus nostris auferat, & reliqua Græca cohors Germaniam, somno vinoque sepultam, inuadat, id quod clementissimus pater cœlestis auertat, ex animo precor.

Ad APPELLATIONEM quod attinet, D. Philippus vocabulo Turci vastatorem significari asserit, eò quòd longè lateq; omnia deuastet. Alij verò quasi gemino bellum Troianum ab ouo ordiuntur, dum Turcos vel à Tyras', filio Iaphetis; vel à Teucria regione Asiæ: vel à Teucris populis: vel à Turcano Herculis filio: vel à Turco Troili filio, Priami nepote: vel à Turca Persiæ emporio: vel à Tyrck fluuio: vel à Trux: vel à Tortura dici contendunt. Alij Ebræum vel à Tharah: vel à Tzor: vel à Racha, deriuari volunt. Alij Græcum malunt vocabulum, & vel quasi Θουργικὸς: vel quasi θυρσοῦος, quæ vox alludit ad nomen Hebræum, HAGAR: vel quasi ὄυρκοι seu ὔρκοι. Alij ita quærunt Etymologiam: Turci seu Scythæ. Caucasij, olim Cyrtij dicti sunt: ea appellatio corrupta est per Metathesim Synæresim & Antistichon. Nam κύρτιος per Antistechon redditum fuit, Curtius: Sicut σῦς sus δύω duo, θύρα Thüre. Postea per Synæresim κυρτὸς Curtos dictos: & tandem per Metathesim Turcos pro Curtos appellatos. Alij etiam à Doscis: alij à Tuscis deducunt Turcos. *Appellatio* *Farrago Etymologiarum.*

Si Originem spectamus, Turci (*velut ipsi pronunciant Tzurki, aut Iurchi*) ipsorum lingua νόμαδες pastores, oberrones, Planetas & stelliones, mapalibus hinc inde à depasto ad depascendum solum oberrantes significat.

Dominatores ipsorum ab Othomano, Othomanni dicuntur: Sicut Romani Imperatores ab Augusto Augusti: Aegyptiorũ Pharaones à Ptolomæo, Ptolomæi olim dicti sunt. Verùm de nominibus dignitatum suo loco dicetur. *infrà cap. 4.*

CAPVT SECVNDVM
De Oeconomicis.

VM de hoc capite Lonicerus, Mollerus & Rauvvolfius omnium manibus terantur, membratim paucissima adijciam, quemadmodum ex diuersis relatoribus collegi, forsan enim non vbiq; eadem ratione œconomiam administrant.

1. Coniugium præ cœlibatu tempestiuè exosculantur, & per manum Sacerdotis in templo copulantur.

2. Vxor viro non adfert dotem, siquidem vir virginem filiam à parentibus emit: vxorem repudiatam, aut viduam sine dote inuenit.

3. Sponsam ad templum miris vociferationibus, & instrumentorum musicorum cantu deducunt, similiterque reducunt.

4. Conuiuia nuptialia præcipuè funambuli, pugiles, præstigiatores, & id generis homines exornant.

5. Vxores ducunt, quotq; vnanimes conseruare & alere possunt. At pluribus intentis minor est ad singulas sensus, & vnanimitas sc. mulierum, caussa est infiniti diuortij.

6. Repudiata, libello repudij, vt singulari ornatu præstans, circuit optimo suo ornatu cum pedissequa, donec alius eam ducat.

7. Inobedientes vxores vehementer verberant, antequam per Cadinum, seu Cadilescherum diuortia fieri poscant.

Quæli-

8. Quælibet vxor ſuam ſobolem educat, donec ad ſcholam mittatur.

9. Non pauci Turcorum neſciunt veras parentes, cùm non rarò prægnantes repudientur.

10. Liberi reliquas patris ſui vxores vocant Beymütter aliter Nouercas: ſuam verò genitricem vocant Matrem.

A victus frugalitate admodum commendantur à pluribus ſcriptoribus.

Nam 1. diebus Iumar ſeu Sabbathi ſui, finitis ſacris, conueniunt ſingulæ opificum & artificum tribus, & genio indulgent contributis ſymbolis: ita tamen ne inebrientur. Ebrios autem vocant eos, qui conuiuij lætitiam interturbant, aut in plateis clamant. Aliâs enim ita inebriantur, vt vix domum reperire queant.

Reliquis diebus ſitim vix aquis fontanis ſedant, & vel atro pane ex heſterno iure contenti ſunt.

Ad valetudinis conſeruationem verò bibunt potum aromaticum, quem *Cháube* vocant colore atrum, ſapore præſtantiſſimum, noſtram aqueuitam facilè, ſi non ſuperantem, tamen æquantem.

2. Fructus terræ & arborum ante epulas ſumunt, & ita illis primas, qui nobis ſecundas menſas faciunt.

3. Menſam, ſcabella, & ſcamna non habent, vt nos, ſed corium durius, quod ſubſternunt, eorum vicem ſupplet. Hinc hoſpitia publica tibi nihil, niſi parietes & pauimenta præbent.

4. Vbi humi igitur ita ſuper pelles ſubſtratas diſcubuerunt, breui oratione præmiſſa citiſſimè vorant, ne verbulum quidem ſonantes, cùm flare & ſorbere periculoſum ſecundùm medicos, digitis cibos ori admouent, cùm cultellis non vtantur: Coquus carnes ita minuit, & piſtor

panes

panes, vt digitis ori admouere, & quàm citissimè degluti-re possint: Panes admodum dulces habent, siquidem fari-nam semine dulcifico, quod *Susson* vocant, inspergunt, & ita ad pistorem mittũt, qui ita pinsit, vt vnus blomus duos bolos præbeat: Ferculo vno atq; altero sunt contenti.

5. Finito ientaculo, prandio, aut cœnâ (*ter enim quo-tidiè cibum sumunt*) Pythagoricâ, quisque statim, recitatis precibus eucharisticis, ad suos redit labores. Post cœnam verò si non statim hora precum adest, colloquijs sibi gra-tis se recreant, donec per vocem *Maizini* vocentur ad pre-ces nocturnas, quibus absolutis cubitum se recipiunt.

6. Lectos non habent plumeos, contenti corio, pelle, aut panno crassiore. Sicut enim finitis epulis mensas & scamna ad parietem: Ita manè surgentes stratum suum de clauo parieti infixo, suspendunt.

7. Abstinent à carne porcina, vt à DEO prohibita: à piscibus, vt qui sine vino venenum: à fabis, pisisq; vt san-guinem diuidentibus: delectantur melle, cepis & allijs: assatis item carnibus, quas tamen coquus ita minuit, vt vix assatas agnoscas.

8. Abstinent & à vino, olim tamen magis quàm hodiè. Amurathes enim vinum bibentes decollauit. Vineas au-tem colunt, & vina exteris vendunt: inter quæ præstan-tissima sunt, quæ circa Constantinopolim & Varnam pro-ueniunt, & nobis *Rummeney* vocantur, à regione, quæ illis Romaniola, nobis Thracia dicitur. Secundas digni-tates tribuunt vino NISIS, quod ad Armeniæ limites, & in radicibus Antitauri Australibus prouenit.

9. Vini loco habent aquas vel simplices, vt ex fonte hauriunt: vel aromatibus conditas: inter quas Pachmatz est potus ex aqua & vuis passis; Tscherbet, potus ex Sac-caro

caro vel melle & aquis: Curmi ſeu Zythum ex aqua & hordeo: Haſſaph potus ex aqua, & Zizyphis, vel melle & roſacea aqua addita.

In *Amictu* quiſq; ſuam conditionem exornat. Ex colore enim, & præſtantia veſtis, adeoq; tiaræ, agnoſces conditionem perſonæ, & facillimè Baſſas à Begis, Ianizaros ab Vlufagis, & Solachis: Sangiacos ab Imralemis diſtingues.

Mulieres in publicum prodeuntes nigro reticulo faciem ſuam velant. Reticula autem illa vulgus mulierum ex ſetis equinis, nobiliores matronæ ex ſerico contexunt.

Aedificia vix inuenias ſplendidiora, cùm etiam Baſſæ contenti ſint viliſſimo domicilio: ſupellectilem rariſſimam & peruiliſſimam: ianuam procerior non intrabis erectus, vtpote humiliorem: menſas, ſcamna, ſubſellia non habent, ſed pelles: olla vna atq; altera coquo ſufficit.

Cauſſa huius eſt quod omnia, aut ſanè potior pars hæreditatis, poſt obitum mariti cedant Sultano: quapropter potiùs nummos, quàm ſupellectilem colligunt. Ad parietes tamen ſuſpendunt varia vaſa diuerſæ præſtantiæ, quæ mnemoſyna amicorum non ad vſum (*nefas enim eſſet vti mnemoſyno ad rem domeſticam*) ſed ad oſtentationem habent.

Peregrinis præter parietes & pauimenta ſuperiùs & inferiùs nihil ſuppeditatur ab hoſpitibus: Cibum inuenies in popina: vinum apud Oenopolam: potum mixtum apud Zythopolam; lectum ad parietem pendentem inuolutum, aut ſanè pallium: auenam & ſtramina præbebunt venditores, ſubinde ad hoſpitia publica accedentes, & quærentes, vtrum ſit, qui indigeat.

Ad mores quod attinet ſuis virtutibus & vitijs noti

E ſunt.

ſunt. 1. Præcipuè verò delectantur officioſis & operoſis ſalutationibus, ne dicam ſuperſtitioſis. Nam vel Gallos, & Italos, Belgaſque ſuperare dicuntur.
2. Vt voraces ad nos accedentes: ita in Turcia inediæ patientiſſimi, ſimiliter caloris, ſudoris, & laboris, cum tempore pacis otio diffluant: frigoris impatientiores perhibentur.
3. Quotidiè exercentur omni genere armorum & certaminis.
4. Mirificè recreantur colloquijs & viſitationibus aliorum, præſertim captiuorum exterorum: ſæpè enim integros dies iſtiuſmodi collationibus abſumunt.
5. Maximam laudem & promotionem inuenit captiuus, qui eorum virtutes bellicas, victorias, moreſq; commendat, aut cantillare geſtit.
6. Sæpiſſimè exteris ſuas res geſtas operoſa eloquentia exponunt, & ita ſuo ſe ore laudant.
7. Quia otioſi plagis apud eos ad labores coguntur, & tamen proniores ſint ad otia, quàm negotia, non ſolùm confabulationibus & viſitationibus tempus terunt, ſed & venationibus indefeſſis: obambulationibus in foro & littoribus: adeoq; negotiatione, hortorum cultu, & agricultura: talis, alea, præcipuè verò Schachia ludendo: crebrò etiam oberrant in plateis, & vijs publicis, per agros & hortos fidibus ſuo more cantantes. Muſicum Inſtrumentum vulgatiſſimum eſt Quinternio, aliàs quinq;, aliàs ſeptem, aliàs decem fidibus conſtans.
8. Labores grauiores imponunt captiuis Chriſtianis, vt ſunt architecturæ, fabrorum ligni & ferri, ſutorum, piſtorum, ſartorum &c.
9. Cùm ſint arrogantes & perfidi, nimis faciles aures
præbent

præbent delatoribus, quòd sanè maximo suo cum malo maximè experiuntur Visiribassæ, Beglerbegi, Sangiaci & Cadini.

10. Mamelucis, id est, Christianis ad Mahometismum accedentibus non credunt, etsi ore simulent, & gestibus. Dicunt enim, si à DEO suo optimo patre deficit, quomodo fidelis esset mihi hosti, & persecutori suo? De Apostatis sentiunt.

11. In captiuos quibusdam in locis admodum sunt liberales, & συμπαθεῖς, quod vix crederem, nisi me moueret autoritas eorum, qui captiui apud ipsos fuerunt. Quando capiuntur, ita tractantur, vt mori potius optent, quàm viuere: Similiter quando ad Sultanum, vel alios ducuntur: non autem mirum: quis enim lictor mitiùs agit cum captiuis? vbi verò in carcere iam degunt, sentiunt Turcorum largitatem. Quia enim Eleemosynas erogare tenentur, antequam petat egenus, spontè mittunt famulos, qui sciscitantur de captiuorum egestate.

12. Captiuos suos Christianos non semper habent in carcere, sed oriente Sole educunt ad labores agri, vel aratri, opificij, maris, &c. Sole occidente, reducunt ad carcerem, compedibus ligant, & pane doloris cibant: ibi interdum fit, si captiuus ægrotet, vt ad labores educi non possit, vt interdum optimè curetur ab alijs ciuibus: quod tamen rarissimũ, & hodiè experientia contrarium probat.

CAPVT TERTIVM
De Ecclesiasticis.


REligio Turcorum Mahometica, à Mahomete Saracenorum legislatore: Alcoranismus ab Alcorano, hoc est, libro legum Mahometis: Alcoran rectiùs dixeris, nam Al est articulus Arabicus:

bicus: vt Itali dicunt la-fede, Galli la-foy, Germani der Glaube: sic Arabes Al-curan, seu Al-curaan, seu Al-coran: Mahometismus à Mahometo appellatur. MAHOMETVS autem (*rectiùs tamen Muchammetus dixeris*) natus est posthumus, anno Christi 571. (*in hac annorum annotatione omnes diuersitates reÿcio, & Alcoranum sequor*) duodecimo die Sabahen (*aliter duodecimo die mensis Rebial Euel*) qui respondet nostro 21. Septembris, die Lunæ, vt Astronomicus calculus probat, seu die Veneris, vt Alcanoristæ asserunt (*vnde & dies Veneris eis est dies Sabbathi, seu feriarum sacrarum*) in pago Itrarip, Mechæ vicino, patre Abdalla Motalibe Arabe, ciue primario, qui obijt paullò ante filium natum, & matre Emyna, seu Hymina, seu Hemnya filia Gaubin, Ismaëlitica fœmina: imperante Iustino Iuniore in Oriente & Occidente (quoniam occidentale Orientali tunc restitutum fuit, vsq; ad Carolum Magnum) Fratres habuit vndecim.

Ma-Hu-Meth. Nomen Mahometi diuersimodè explicatur. Quidam enim quasi מָח הוּא מֵת dictum volunt, quæ deriuatio respicit græcum μάχομαι, quod nimirum legem pro libidine sua non iure, sed gladio propaget. Quidam Mahometh reddunt Germanicè Grimm. Ast Muchammet ipsorum lingua destructorem sonat. Honingerus verò dicit Amatum & laudatum sonare.

Quando secundum agit annum, mater etiam moritur & nutrici Limæ, seu Halimæ commendatur: ast orbus curatur vsitato more, asinosque pascere cogitur.

Adolescens Camelos pascit. Adolescens tredecim, aut sedecim annorum in Iesrab camelos pascit: & quia atra nubes supra eum apparet vbicunque, mouetur, herus eius consulit augures, qui respondent: Iste puer atram nubem inducet super orbem Christianum; simulque augurum princeps sui, suæq; familiæ

miliæ ſalutem ſupplex ab ipſo Mahometo impetrauit.

Herus ſuum quem metuebat Agaſonem mercatori Abdimonepli vendit, & ita ſuam familiam ſaluare ſe credit. Ferunt eum vſum præceptore quodam Iacobita, ex his qui Chriſtum docent merum hominem Spiritu ſancto conceptum &c. quam hereſim Saraceni amplectuntur. *Mercator fit.*

Abdimoneples Mahometum, propter calliditatem in negotiatione, admodum diligit, adeoq; ei omnia ſuæ domus concredit. Erat verò eidem Abdimonepli domeſticus ſacrificulus Arrianæ ſectæ, exul (*Nam fuerat Abbas Monaſterij S. Calliſtrati in vrbe Conſtantipoli, & Monothelitarum errorem eiectus in exilium*) Sergius nomine, Italus genere, homo facundiſſimus, qui Mahometum initia doctrinæ docuit. Sergius.

Mahometus huc illuc negotiator terra mariq; iactatus, audit diuerſiſſimos concionatores (*fuit enim & inſignis hypocrita, qui conciones vel nunquam quantum potuit, neglexit*) & pro ſui ingenij acumine, ſentit cõtrarietates nequaquam ſpernendas: præcipuè cùm Euangelium audit eſſe potentiam DEI ad ſalutem æternam omni credenti: conſulit Ioannem Antiochenum Epiſcopum Arrianum, conſulit Iudæorum Rabbinos, conſulit ethnicos Sacerdotes & Augures, conatur conciliare diſcrepantia, & opera Sergij prima folia Alcorani conſcripta reponit. *Inſignis Hypocrita.* *Fit Theologus.*

Interim herus moritur, & Mahometus ſeruus, auxilio magicarum artium, & ſuaſionibus Sergij Monachi Arriani, vxorem ducit heram ſuam Chaddigam (*al. Cadiſam*) vetulam quinquagenariam, cum qua immenſas opes adeptus eſt. Quia verò ſterilis erat, duxit ſubinde alias vxores, ita vt quindecim vxorum maritus obierit (*non numeratis ancillis, & ſtupratis puellis callidè dimiſsis*) ex quibus tamen *Vxorem ducit heram ſuam.*

men omnibus tantùm tres filias, Fatynam, Ceynem, & Vmicultumam suscepit. Cazinus autem vnicus filius duodecimo ætatis anno mortuus est.

Persona descriptio. Ad personam quod attinet, vir fuit Mahometus capite admodum magno, naso prægrandi, facie versutiam prodente, barba prolixa, pedibus agillimus, statura breuior, sermonis suauitate, & linguæ volubilitate vel saxa ad suã sententiam pertracturus, morbo tamen Caduco obnoxius: quo morbo ne Chadiggam tristaret, testatur se à DEO vocari, & cum DEO colloqui: ad conspectum verò DEI ita exanimatum concidere.

Fit Monachus sed maritatus. Anno 38. ætatis mercatura relicta, vt sat diues, solitariam vitam eligit, & quotidiè speluncam ingreditur Mechæ proximam, alijs inuiam, adeoq; inuisam: videns & audiens varia, recurrit mœstus ad vxorem, eiq; recenset. Chaddiga consolatur eum, & testatur non diuina oracula sed Diabolica ludibria esse, sicut otium puluinar, & melancholia balneum Diaboli esse solet.

Visiones habet.

Quia verò voces & visa eum sequuntur, Sergio autore & scriptore audita consignat, subindeq; noua folia in cista della men segina, id est, arca legationis reponit.

Deceptorem agit. Edocuit & columbam albam eruilia ex aure legere, & in media concione ad aduentum columbæ subticuit, auolante eadem, noua figmenta protulit, quæ à Spiritu Sancto in specie columbæ ei iam reuelata essent. Post Sergij mortem alios amanuenses conduxit, vt qui nec scribere, nec legere nossent, & subinde plura oracula folijs mandauit. Abdalacales Iudæus, Scriba & Cancellarius eius, vir doctissimus, audiens sibi ab hero suo dictari absurda, aut etiam Moisis legi contraria, subinde mutauit verba dictata; & pro suo libitu etiam alia consignauit. Cùm

Alcorani Exordia.

hoc

hoc per ſeptennium feciſſet, & Mahometus non ſentiret, ſenſit DEVM non eſſe autorem iſtiuſmodi nugarum, & propterea Mahometum vt furioſum reliquit, & quàm plurimos Iudæos ab ipſo reuocauit. Horum exemplo & Arabum non pauci ab eo defecerunt. Cùm enim quodam tempore Iudæi eum de Camelis edentem vidiſſent, ſtatim offenſi facto magis Abdalacelis verbis fidem tribuerunt.

In tali rerum diſcrimine, familiares eius quærunt eum occidere, aſt Mahometus, cum per decennium iam Mechæ docuiſſet, fugit in Almadinam ſeu Medinam oppidum Arabiæ deſertæ, (*ab Auſtrali ad Borealem plagam tendens, & ita verſus Paleſtinam ſe flectens*) teſtatur ſe miſſum gladio propagare Alcuranum, quapropter corradit fecem vulgi, præcipuè milites, quibus Heraclius mercedem detraxerat, vt canibus mercede indignis: & primò Iudæos nouem prælijs ſuperat: hinc aliquot prælijs etiam Arabes, & quia præclarè ſe gerit armis, filiam Regis Arabum vxorem accipit, præter & contra Conſiliariorum & Procerum voluntatem & conſilium. *Fit Miles.*

Hac ratione Mahometus ad faſtigium Imperij euectus, non rex Arabum, ſed Amiras Saracenorum dici vult, ſimulq; ſuam (*ſic ſolet: nouus Rex, noua Lex*) legem, ſeu Alcoranum publicè proponit, & bellum apertum indicit omnibus, ſuſcipere recuſantibus. Moſen enim minis: Chriſtum miraculis: ſe verò gladio miſſum eſſe propagare verbum. Amiratum ſuſcepit anno Chriſti 622. ætatis ſuæ 52. anno duodecimo Heraclij, 15. Iulij die Iouis. *Fit Rex.* *Alcoranus publicatur.*

Vbi verò nouem annis vtrumq; gladium geſtauit, ſuo morbo (*comitiali videlicet*) in ſenectute correptus, veneno-[que] loco remedij à medico Albunore propinato, relinquens nouem viduas, miſerrimè vitam finiuit, ætatis ſuæ *Moritur.*

anno

anno 63. Amiratus nono, Christi 632. Heraclij 23. die 12. mensis Rabe, qui cohæret cum 8. Iunij, fuitq; dies Lunæ.

Canibus obijcitur. Dixerat autem se tertio die resurrecturum, vel cœlos ascensurum, quare custodiunt eum per triduum. Ast nimium fœtentem, & cuius ossa etiam venenum roderet, canibus obijciunt.

In altum tollitur. Assentatores verò illius, vndecimo die recolligunt reliquias cadaueris, ferreoq; loculo inclusas Almadinæ, seu in Medinæ Talnabi vrbe in templo reponunt: sed erat magnes in fornice templi dolosè collocatus, qui naturali sua virtute loculum ferreum sursum raptum, in aëre sustinet. Hoc spectaculum plurimos reuocauit ad Alcoranum.

Fulmine deijcitur. D E V S verò fulmine eum deturbat, idololatriam & templum destruens, anno Christi 1488.

Recolligitur. Mahometistæ lugentes recolligunt exuuias *(quas tamen in infernum fulminis virtute coniectas quidam asserunt)* & nouo loculo impositas Mechæ in templo reponunt.

Vrbs. MECHA autem vrbs est non muris, sed montibus præcipitibus cincta, sita in arenis Arabiæ petreæ: religiosis peregrinationibus Turcorum ad sepulchrum Prophetæ sui admodum celebris. Abundat hæc vrbs columbis, quæ à Sacerdotibus sacris pascuntur. Credunt enim eas esse ex genere candidæ istius columbæ, quæ Mahometo in aurem suggerere videbatur Alcorano addenda, vel subtrahenda: his columbis etiam tanta est licentia, vt grana colligant in ciuium ædibus, imò singularem sibi pollicetur ille ciuis fœlicitatem, si sacram columbam alere dignus videatur.

Columba

Templum. In hac est Templum augustissimum quod ab Angelis iubente DEO ipsi Abrahamo esse ædificatum aiunt, montibus saxa ex longinquis regionibus comportantibus.

fe

forma est planè rotunda, in fornice vnicam fenestram habens: fores eius inæstimabilis pretij, ad quas lapis est magnus à monte tardiore adductus, & vita olim donatus: hodiè verò singulari virtute præstantissimus. Nam hunc aspicientes statim se vita æterna dignos effici statuunt.

In hoc templo est sepulchrum Mahometi memorandum. Primùm enim sunt cancelli ferrei, formâ magnam Sphæram referentes, & ita collocati, vt vna medietas non conspiciatur, muniat tamen sepulchrum, ne quis per subterraneos aditus tantum Prophetam auferat: altera medietas supra terram conspicua est. *Sepulcrum.*

2. In centro huius machinæ ostendunt loculum Mahometi ex purissimo marmore.

3. Ad caput est altior tabula marmorea, literas Arabicas auro obductas exhibens: ad pedes similiter est breuior tabula erecta, Arabicis literis ornata: ad quatuor angulos loculi sunt quatuor fulcra auro inducta, & tegumentum (*vulgò cælum vocant*) ex viridi Schameloto, sustinentia. In ipso loculo an quicquam sit de exuuijs Mahometi valdè dubitatur. Nefas est etiam accedere & introspicere. Beati autem prædicantur qui credunt etsi non vident eius reliquias.

Hæc est legenda de Mahometo, ex ijs quos habere potui scriptoribus in vnum congesta.

Post aliquot autem annos folia Mahometi oracula continentia hinc inde recolligunt, & quia magna inuenitur contrarietas, Amiras Theologos Saracenorum præstantissimos conuocat, omnia folia corradit, eorum officio librum congerit, & in quatuor partes seu tomos distinguit, qui vsitatè vocatur Alcoranus, rectiùs Al-Curan al. Curaam: estq; rythmis Arabicis conscriptus, vt à Turcis *Al-corani congestio.*

& Saracenis cantari possit, ad exemplum Iudæorum, qui Ebræa Biblia cantillant.

Alcorani correctio.

Circa annum 1290. Omar seu Homar Theologus Persicus correxit Alcoranum, fabulas priscas mutilatè ab indoctis conscriptoribus allegatas compleuit, aniles fabulas deleuit, & Omaristis, id est, Reformatis originem præbuit contra Alcanoristas Turcos, qui Musulmanni, id est, Orthodoxi vocari malunt, & Alcoranum secundum literam retinent, etiam absurdissima proferentem.

Hic, Alcoranum qui non habent, vt inserant plenioris cognitionis gratia, recurrant ad centuriam septimam ecclesiasticam, aut ad octauum Tomum Germanicum Lutheri Ienensem.

Vt tamen aliquid habeas, candide lector, ecce subijcio tibi quædam honestiora, ex eo libro collecta, secundum Catechismi nostri methodum.

Præcepta habent Octo.

Decalogus &c.

1. *Vnum DEVM colito.*
2. *Parentes gestibus, verbisq; reuerenter honorato.*
3. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito.*
4. *Iusto tempore in templo dieb. Iumar, & Bayram adesto.*
5. *Quotannis bis ieiunato & sacrificato.*
6. *Eleemosynas de tuis legitimis bonis, antequam egenus petat, largitor.*
7. *Coniugium expetito, alteriusq; coniugem, aut ancillam ne tangito.*
8. *Neminem extra casum necessitatis occidito: cædem fortuitam boni viri redemtione, aut quadraginta egenorum cibatione recompensato.*

Hæc præcepta qui seruarit saluabitur, qui contemserit damnabitur.

Credunt

Credunt vnicum DEVM creatorem, & conseruatorem rerum, iustum, bonum, omniscium, omnipræsentem, vindicem &c. non edentem, aut bibentem: filio & vxore carentem: autorem Alcorani & Alforcami: peccata remittentem omnibus in Mahometum credentibus, & bona operantibus: in manu tenentem tabulas, quas quotidiè centies sexagies inspiciat, & secundum præscripta illa omnia in mundo gubernet & conseruet. Qui DEVS vnicus consensu animæ suæ & Angelorum, hominem & omnes creaturas creauerit, & Diabolum, creationi hominis addere suffragium suum superbè recusantem æternaliter ex cœlo eiecerit. Qui victum homini creet quadraginta annis antequam nascatur: qui assessores & consiliarios suos Mosen, Dauidem, Christum & Mahometum distinctis temporibus miserit conuertere populos: quorum consilio rediens iudicaturus sit viuos, & mortuos in extremo die. *Symbolum*

Iesum Christum credunt esse *logon*, & magnum Consiliarium, seu Visirobassam DEI, natum ex virgine Maria sub palma deserti Orientalis: hominem verò mundissimo corpore & anima, afflatu diuino præstantissimum, quem DEVS tertium miserit miraculis & facundia linguæ conuertere populos, quos nec Moses minis, nec Dauid armis potuerit redigere in ordinem diuinum: quem Iudæi ingratissimi voluerint crucifigere, ast DEVS dilectus suum Secretarium eripuerit, & ad pedes suos locarit, Iudæique loco Christi Apostolum Christo per omnia similem crucifixerint (*in quem nos narrant credere*) Spiritum sanctum non, nisi in quatuor Consiliarijs DEI agnoscunt.

Credunt in *Mahometum* DEI postremum & præstantissimum Prophetam 5. Mos. 18. v. 15. & Ioh. 16. v. 7. promissum,

missum, & iusto tempore missum vi & armis conuertere populos nondum conuersos, per prædecessores suos. Beatos eos qui in hūc vt verum promissum Messiam credunt: damnandos cum Iudæis & Seithan, id est, Sathana, omnes non credentes in hunc Mahometum.

Oratio. *Orationem Dominicam* & psalmos Dauidis retinent, quibus adijciunt infinitas formulas precum. Sequens oratio ipsis præstantissima est, quæ secundum locum post orationem dominicā habet, quam quotidiè quinquies recitant.

„ In nomine misericordis, clementis & optimi DEI.
„ Gloria DEO regi æternitatis misericordi & benefico re-
„ gi Diui & Iudicij, seruiamus ei & auxilium inueniemus,
„ dirigas & ducas nos ad veram metam eorum, qui placent
„ tibi, & quibus non irasceris & non errabimus neque pec-
„ cabimus. Amen.

Tertiam dignitatem obtinet Encam, quæ precatio est pro viuis & mortuis, & admodum longa, quotidiè quadragies recitanda, ac proinde in aula singulares Sacerdotes aluntur, qui nihil aliud agunt, quàm Encam recitantes pro salute Sultani.

Gestus orantium. Oraturi lauant os, manus, pudenda, genua & pedes, exuunt calceos (*& caput non aperiunt*) vt digni qui accedant ad DEVM, & mundi inueniantur: pectus subinde tundunt, & faciem, corpusque modò eleuant, modò demittunt: adorant DEVM, Angelos, elementa, Lunam, stellas & infinitos sanctos, ex quibus nobis solus S. Georgius iuxta placita Pontificorum notus est.

Baptismus. *Baptismum* non agnoscunt: simile tamen quiddam habent. Nam cùm naturali fœtore in lucem edantur, Adrichomio referente, infantulos lauant in fonticulo IESV (*qui est inter Heliopolim, & Cayrum in AEgypto, in horto amœno & muni-*

& munitißimo) vel ſi eò non poſſunt deducere infantes, lauant eos in ſuisMoſcheis, vbi reſeruant aquas ex hoc fonticulo allatas. Lotionibus autem membrorum facilè Phariſæos, & Papiſtas ſuperant. Partim enim totum corpus, partim membra ſenſuum, partim generationis membra abſq; pudore lauant, & nefas non eſt ſi puella, aut mulier videat. Hinc peculiari cultu DEVM afficere ſe credunt, ſi Thermas, & balnea conſtituant & exornent. Lota membra oleo, vel vnguentis pretioſis & odoris vngunt. *Lotiones.*

Circumciſionem autem (*quam Tſuneth vocant*) retinent, & quidem infantulos ſexto, ſeptimo, octauoúe, vel exemplo Iſraëlis, decimo tertio ætatis anno, circumcidunt, ita vt *Circumciſio* ſit adiaphoron. Saluantur enim ex Turcis nati, etiamſi non circumcidantur, modò in Mahometum credant. *Circumciſio.*

Turcicos pueros qui Alcorani iam initia didicerunt, domi circumcidunt, ſi pauperiores ſint parentes: vel in templis, ſi ditiorum filij. Nam magno comitatu & pompa circumcidendus, equo vel mulo impoſitus, ducitur ad Moſcheam, ſeu templum, bos ſacrificatur, & ſacerdos circumcidit eum. Nomen autem ante circumciſionem indunt, quàm primum natis infantibus; poſtea domum reducunt, & in honorem circumciſi aſſant Taurum integrum excoriatum, & exenteratum, in cuius ventre veruecem, in veruece gallinam, in gallina ouum recondunt. Hæ hoc modo aſſatæ carnes, poſtea in minutiſſimas particulas ſecantur, vbi ſatis ſpectatum propoſitæ, & epulas præbent conuiuis. *Circumciſio puerorum.*

Pauperum filij, plerumque magno numero gratis circumciduntur, quando alicuius Sultani, aut Baſſæ filius circumciditur.

Tertio die post circumcisionem lauant & vngunt eosdem pueros, & amplissima eis dona offerunt, pro vt diuites sunt. Mulieres & puellæ non circumciduntur, sed examinantur & si in Mahometum credunt, saluantur absque circumcisione.

Puellæ.

Circumcisio Mameluccorum.

Mamelucos autem seu Christianos Mahometismum suscipientes sic circumcidunt.

1. Magno comitatu in forum (*non enim digni qui in Moscheas duci possint*) ducuntur.

2. Crucem propositam ter expuentes pedibus terunt, & Christo crucifixo blasphemis verbis à Sacerdote verbis præeundo recitatis, renunciant.

3. Eleuatis digitis iurant se in DEVM & Mahometum credituros, omnemq; fiduciam suam in eos collocaturos: adeoq; se pro his viuere, & mori paratissimos futuros.

4. Circumciduntur per sacerdotem peculiarem, si volunt, si verò recusant, sufficit abrenunciatio crucifixi, & iuramentum in Mahometum: In signum tamen circumcisionis tres Turci tres Sagittas in cœlum emittunt.

5. Nouum nomen eis imponitur, antequam sagittæ emissæ, recidant.

6. Statim deducuntur ad balneum, vbi lauantur & vnguntur.

7. Honoraria amplissima eis donantur, & Cadini vel Cadilescher, vel Sultanus donat eis domum, in qua sibi victum quærant.

8. Deducuntur in donatam domum, & conuiuium opiparè præparatum celebrant.

9. Biduo proximè subsequente, magno gaudio & musicis instrumentis, comitatuq; operoso cunctos ducunt per plateas vrbis, mulo, vel equo optimo impositos, vt ab omnibus

omnibus agnoſcantur: Emittuntur interim globi lætitiæ, vexilla & equites vndique conſpiciuntur, frondes & herbæ, ſi æſtas eſt, ſubſternuntur.

(*Ammanitæ verò in Perſia & finibus Turciæ retinent etiam baptiſmum ignis, & cœnam Domini integram.*)

Loco *Cœnæ Dominicæ* habent ſua ſacrificia. Sacrificant enim Tauros, vaccas, equos, Camelos, aſinos &c. præcipuè arietes, exemplo Abrahami, DEO iubente arietem ſacrificantis. Dum mactatur victima, vel ad templa, vel ſepulcra, vel triuia recitantur certæ preces: excoriata aræ imponitur; tandem in particulas diſſecatur. Pellis, pedes & caput ſacrificulo, & vna quarta pars Sacerdoti, altera quarta pars amicis adſtantibus: reliqua medietas ſale conſpergitur, & in minimas particulas diuiſa pauperibus diſtribuitur: ſi quid remanet, id auibus relinquetur. *Sacramentum altaris.*

Corban peculiare ſacrificium eſt, quod vouent ægroti, & offerunt reconualeſcentes: ſi non reconualeſcunt, non tenentur ſoluere, & voto ſatisfacere, eò quòd DEVS eos non reſtituerit ſanitati.

Templa triplicia habent.

1. Meſchith ſeu Moſcheas, in quibus ad preces & conciones conueniunt. Meſchit autem ſonat templum ligneum: Zuma templum lapideum.
2. Metraſſa, quæ ſunt quaſi cœnobia; ſeu ſacerdotum habitacula.
3. Imareth, quæ ſunt Xenodochia, & ſepultura regum in quibus peregrinis victus per integrum triduum præbetur gratis. Moſchææ ſunt ædificia rotunda intus aureis literis, tapetibus & facibus ardentibus exornata: ad has contigua eſt turris rotunda.

Ad

Precum solemnitas.

Ad *Preces publicas* quotidiè quinquies, secundum initia quinq; horarum, conueniunt hoc modo:

1. Mezin Sacerdos conscendit turrim templo contiguam, & stentorea voce Exenochum, id est, inuitatorium Psalmum declamitat: ibi, quisquis domi, se lauat & vngit, & ad preces, quantum domestica negotia concedunt, se præparat.

2. Soffi, id est, cantor. Cantores enim in Moschæa in duos ordines, ad Austrum & ad Boream diuisi alternatim canunt aliquot Psalmos Dauidis. Melodias autem si audires diceres perpetuas fugas esse, ita præcedit & sequitur Chorum Chorus. Interea admodum lento gradu, deuotionem ostentantes, adeunt templum, ad valuas templi calceos exuunt, & arma deponunt.

3. Ingressi templum non se mutuò, sed Sacerdotem aspectant & ad eius gestus suos formant. Absoluto enim Psalmo Antippinus, in Orientali parte stans, complicat manus, & eleuat in cœlum, versúsque meridiem spectans exclamat: Hala, Hala, Hala: mox in genua, & faciem procumbit, & terram osculatur: inde rursum erectus pugno pectus tundit, iterumque in faciem procumbit, & suas calamitates DEO murmurando exponit. Idem faciunt omnes reliqui. Tandem rursus erecti, caput huc illuc motantes, ter clamant *Sabanala,* id est, misericordia DEI sit nobiscum, seu κυριε ἐλέησον.

Oratio pro hostibus.

4. Vesperi precationem claudunt hac formula: DEVS confunde mentes gentium, in Crucifixum credentium, vt discordia mutua attritos tuo Visirobassæ Mahometo eos subiugemus, ad tui & Mahometi gloriam. Vnde & se nouo nomine vocant Islami, pacificos, mutuò concordes, (*quod corruptum à* שלם *videtur.*)

5. Mozin

5. Mezin de turri cantat,ſeu declamat Miſſam, ſeu canticum, quo iubet vnumquemque ad ſua, & ſuos redire.

A templis eorum arcentur. 1. Mulieres vt incircumciſæ. 2. Chriſtiani, vt incircumciſi,in crucifixum DEVM credentes, & proinde vt blaſphemi. 3. Ebrij, vt deuotionis nubatores. 4. Mœchi,& adulteri,vt impuri. 5. Homicidæ, vt maledicti. Chriſtiani in eorum Moſchæis deprehenſi, coguntur ad ſuſcipiendam circumciſionem, vel ſi recuſant interficiuntur. *Prophani.*

Ad *Conciones* ſimiliter per Mezin conuocati conueniunt, aſt tantum diebus Iumar, ſeu Sabbathi (*qui nobis dies Veneris*) Exornantur autem præſtantioribus veſtibus & ornamentis. *Concionum ſolennitas.*

1. Diebus Paraſceues,ſeu in vigilia Sabbathi, diebus Iouis,veſperi accendunt candelas, quæ per totam noctem in templo ardent, donec vel à ſe ipſis extinguantur, vel mane ad concionem conueniant.

2. Vbi in templum venerunt cum Soffis, canunt caput Alcorani vnum, atque alterum.

3. Antippinus, id eſt, concionator conſcendit ſuggeſtum rotundum, vndiq; patens, & vna manu Zimetæram, ſeu gladium Turcicum, altera codicem Alcorani tenet.

4. Erectus prælegit caput ex Alcorano, quo finito, gladium vibrans, ait: Hæc ſunt verba Mahometi, & DEI noſtri, gladio propaganda & defendenda.

5. Inter concionem neminem audias, aut videas expuere, tuſſire, vel dormire. Nefas enim eſt, id in loco ſacro facere.

6. Talaſmanus,id eſt,Archidiaconus manu dat ſignum, vt quiſq; ſuam calamitatem DEO precibus exponat. Ibi murmurationes, congeniculationes, pectoris tunſiones,

& in faciem proſtrationes iterantur. Tandem ter exclamant *Sabanala*, id eſt, miſericordia DEI nobiſcum.

7. Tandem Mezin miſſam, ſeu ſuum ite miſſa eſt, detonat ſolito more, & quiſque domum redit, ad prandium. Quo finito, ad labores vocationis redeunt, cùm otium ſit puluinar Sathanæ, & labor mandatum DEI, & *medium*, per quod DEVS homini benedicat. Sub occaſum Solis autem genio indulgent in multam noctem.

Chriſtianorum feriæ. Chriſtiani verò diem Solis celebrant, & ad ſuas conciones conuocantur, per ſuos Sacerdotes, per plateas eundo, qui baculis maioribus fores Chriſtianorum ita feriunt, vt tota domus audiat. Habent in quibuſdam locis ſua etiam templa, in alijs verò locis conueniunt in æde maiore, & ſua ſacra peragunt, vt nos. Quod, vt liceat illis, ſatis magnum tributum ſoluunt Sultano.

Feſta habent duo:

1. Vlubayram, id eſt, Paſcha prius, al. Buiuc Bairam, quod celebrant per tres dies continuos, in honorem DEI creatoris, & cum eo feſto incoant nouum annum.

2. Chuccibayram, id eſt, Paſcha poſterius, al. chazi Bairam, al. cuzuc Bairam, quod celebrant etiam per triduum, in honorem Mahometi: eo tempore peregrinationes religioſas (*quas Albage vocant*) admodum frequenti pompa inſtituunt, ad ſepulcrum Prophetæ ſui, Mechæ ſepulti, vt remiſſionem peccatorum accipiant.

Media ad ſalutem conſequendam neceſſaria. Aliàs tria ad ſalutem neceſſaria docent. 1. Fidem in DEVM & Mahometum. 2. Credulitatem, quæ ſtatuit omnia vera eſſe, & ſaluifica, quæ in Alcorano & Alforcano ſunt ſcripta. 3. Bona opera in Curaam præcepta. *Peccatores* item poſſe redire in gratiam, ſi non amplius peccent, & bonis

bonis operibus (*inter quæ præcipuum est visitare sepulcrum Mahometi, & osculare lapidem nigrum, ad valuas templi sepulcri*) strenuè dent operam.

Ieiunia quotannis duo celebrant, nimirum *Ramadam*, id est, ieiunium magnum, & *Remezan* seu *Oruz*. A ieiunijs tamen liberi sunt. 1. AEgroti. 2. prægnantes 3. lactentes.

2. Tempore ieiunij nulli licet debitum censum, aut locationis pretium accipere.

3. Ieiunant singulis vicibus à plenilunio ad plenilunium, id est, per menstruum spatium.

4. Ramadan, id est, ieiunium magnum celebrant, vt præparentur ad festum *Vlubayram*.

5. Ieiunant dum solem supra Hori-zontem vident. Post occasum verò Solis omnia eis concessa sunt, exceptis vxoribus. Quare egregiè Cereri & Libero satisfaciunt, cùm ab vxoribus arceantur. Sole redeunte mane etiam ieiunium renouant.

Qui diebus Iumar, Ieiuniorum, & festorum, non in templum veniunt, prima vice 24. plagis castigantur: altera vice scalæ alligati, per vrbem portantur, & reducti ad templum totidem plagis corriguntur. Tertia vice emanentes excommunicantur, & quando tales moriuntur, canibus obijciuntur, & sepultura priuantur. *Conciones spernentes.*

Eleemosynas dant antequam petat egenus. Nam petenti si dant, gratiam non merentur apud DEVM. Hinc famulos suos mittunt per vicinas ædes, & inquirunt num sit, qui egeat pane, potu, veste &c. inuento mittunt eleemosynam. Qui eleemosynas sumit, cùm labore victum quærere possit, triginta plagis virgarum corrigitur, quoties deprehenditur.

Hospitalia seu Imareth opulentissimè fouent, præcipuè

Sultani & Bassæ, qui sua sepulcra in eis faciunt, & maximos reditus annuos eis legant. In his enim licet per integrum triduum gratis cibum sumere, & in vrbe Constantinopoli sunt tot hospitalia, vt si in singulis per triduum cibum sumas, per integrum annum eorum eleemosynas omnes non possis sumere, aut omnia hospitalia visitare. Ab Hospitalibus seu Xenodochijs differunt diuersoria publica, in quibus pecuniam numeranti præbetur quod poscit.

Sacerdotes vt plurimùm sunt rudes asini, quia ex plebe sumunt quoslibet, modò legere & scribere possint, id quòd tam pueri, quàm puellæ omnes in iuuētute discunt. Interim tamen & doctos viros habent, in Ecclesia & schola, quorum gradus, & nomina subijcio. Quamuis alij aliter explicent & numerent.

1. Mofti, aliter Mophti, seu Mofftinus, aliàs Papæ Romano, vel Patriarchæ Constantinopolitano confertur, est enim Pontifex Maximus, & Rex sacrorum.

2. Cadilescher, id est, custos iudicij. Hic Ecclesiasticis vt politicis iudicijs præest, & est plerumq; vir doctissimus, grauissimus ætate & iudicio.

3. Cadi, al. Kadin seu Cadinus, id est, iudex vrbis: seu vicarius Cadilescheri, Stadtrichter. In Ecclesia sunt Episcopi.

4. Hozzalar, id est, πρεσβύτεροι Priester.

5. Talismanus, id est, Archidiaconus, qui ad preces conuocat.

6. Eneangiler, id est, concionator aulicus Hoffprediger. Tales quadraginta in aula Sultani.

7. Antippi al. Antipin, seu Antipinus, id est, lector, concionator, al. Fachi.

8. Mezin al. Mesen, al. Meizin, id est; inuitator seu æditiuus, qui de turri, templo vicina, canit Exenochum, id est, inuitatorium, & Missam, seu, ite Missa est. Qui item cornu cantu horam diei indicat, cum campanas non habeant. Hodie verò quibusdam in locis automata habēt.

9. Imam, seu Imamus, id est, sacrificus est, qui victimas distribuit, der Opfferman. Imam, id est, præceptor, ludimoderator.

10. Soffi seu Zophin, id est, Cantor.

11. Tres ordines Monachorum sunt, videlicet Deruisi, Geomalier, & Calendrier, qui suas regulas seruant. Eorum princeps Abbas vocatur *Azem Baba*, id est, summus pater.

12. Modeci al. Modecinus, id est, visitator ægrotorum, & sepultor mortuorum seu pollinctor.

AEgrotos creberrimè & magna frequentia visitant, ad quos & Modecinus vocatur, qui beneficio Chiromantiæ diligenter scrutatur diem mortis eius, an moriturus sit. Dicunt enim diem mortis scriptam cuiq; homini in fronte, & sinistra manu.

Morituro aliquoties prælegitur *Encam*, donec exspiret.

Mortuus hoc modo curatur, & sepelitur.

1. Quando emisit spiritum aduocantur viginti vel triginta *(pro vt quisq; diues est)* Imami, qui vbi aduenerunt, defunctum humi collocant, & huc illuc volutant, num etiam verè mortuus sit: & inter volutandum ingeminant suum *Sabanala* seu κύριε ἐλέησον.

2. Iidem Imami deferunt defunctum ad fontem sacrum, & lauant, lotum vngunt, vnctum vestibus proprijs *(quas viuus diebus Iumar, vel Bayram gestauit)* ornant, & loculo imponunt: ad caput verò erigunt baculum, qui sustinet tiaram defuncti.

3. Dum hæc ad dictum fontem fiunt, conueniunt amici maiores, cum minoribus, mares & fœminæ, & lugubri gestu, vestituq; condolentiam testantur.

4. Loculum velamine tegunt cruce notato, & si æstas est, flores & herbas inspergunt.

5. Imami pheretro loculum tollunt, & deferunt ad templum. Hîc mixtim præcedunt, sequuntur & comitantur funus magno clamore & vlulatu. Funus enim medio loco est, circum circa verò amici lugentes, & cantantes, plorantesque. Post viros etiam fœminæ & virgines mixtim, cateruam magnam efficientes sequuntur, similiter plorantes.

6. Imami ad fores templi deponunt funus: ibi mulieres reuertuntur domum, & culinam curant: viri verò intrant templum, & sacra peragunt cantilenis & precibus.

7. Electi aliquot familiares, funus à templi ostio ad sepulcrum deferunt. Locus autem sepulcri admodum diuersus est, dum quilibet suum sepulcrum vel in horto, vel agro, vel vinea, vel Xenodochio, vel Thermis vicina domo à se ædificata præparat. Pauperiores verò vt plurimum sua sepulcra habent ad biuia, vel triuia. Constantinopoli certus locus est in Pera.

8. Sepulcro, quod intus: ad dimidium vsque terra est completum, & herbis odoris consitum, loculum imponunt, & primò paululum pulueris terræ in faciem spargentes dicunt: *Terra es, & in terram conuertêris.* Postea assere aptato ostium sepulcri claudunt, aduersus pluuiam, aut niues. Tandem saxo vno atque altero premunt eundem, ne vi ventorum deturbetur. Ditiores præstantiora habent sepulcra. Asser autem ideò imponitur, vt facilè remoueri possit, quia mortuos suos crebro visitant, præcipuè

cipuè mulierculæ, & Manibus epulas offerentes ſepulcro ſuper imponunt, quas poſtea pauperiores diripiunt. Alteram partem epularum inter ſe diſtribuunt viri & fœminæ mortuum viſitantes.

9. In faciem procumbunt, quotquot ſepulturæ adfuerunt, & ſubinde erecti, ſuſpicienteſq́; cœlum, magno clamore canunt ſuum *Sabanala Hala hala la Hala Sabanala.*

10. Redeunt ad defuncti domum, & ibidē lacrymas abluunt, ſicera & ferculis indulgentes, & mœſtos poculis ad ſatietatem ſalutātes. *(Hala, puto eſſe corruptum ex* האלהא *quod venit ab* אלה*.)*

11. Sequenti die mulierculæ flores & herbas plantant, tam circa, quàm in ſepulcro, præcipuè cupreſſum, abſynthium, & Ocymum.

In *Extremo die* credunt non tam reſurrecturos homines, quàm beſtias, aues, animas, Angelos bonos & malos.

Reſurrectionem beſtiarum, auiumq́; credunt propter gaudium paradiſi ſui, vt in eo habeant omnia ad voluptatem neceſſaria. Animarum reſurrectionem credunt vt vitam recipiant: Angelorum vt miniſtros habeant.

Iudicium extremum ſic deſcribunt habendum fore. *Extremum iudicium.*

1. Seraphiel al. Iſraphil angelus cornu magno canet, ad cuius auditum ſonum ſubitò omnia viuentia morientur: & tunc Dominus pluet pluuiam miſericordiæ ſuper omnem carnem per quadraginta dies, ſicq́; lauabit omnes homines & beſtias & aues à ſuis peccatis & maculis.

Quadrageſimo die idem Angelus alio cornu canet, ad cuius ſonum omnia vitam recipient, & tunc homines boni reſurgent candidi, forma humana priſtina, dabiturque eis per angelos bonos candida ſchedula, teſtimonium ſuæ innocentiæ, quod DEO grati exhibebunt, & paradi-

ſum

ſum quiſque ſuum intrabunt, viri & pueri in paradiſum ad dextram, fœminæ & puellæ ad ſiniſtram. In vtroque erit voluptas Epicureis gratiſſima : dabitur etiam viris licentia eundi in paradiſum mulierum, eiſq; ſe recreare.

2. Homines mali reſurgent nigri, forma admodum diuerſa, auari enim porcino capite: maledici prægrandi lingua: inuidi capite canino &c. dabiturq; eis nigra ſchedula teſtimonium ſuæ culpæ, qua accepta & inſpecta, adeoque conſcientia ſua rei victi exclamabunt: væ, væ, væ nobis montes & colles tegite nos &c. & non audebunt faciem ſuam eleuare, & aſpicere DEVM iudicem, cum aſſeſſoribus Moſe & Mahomete ad dextram, Dauide & Chriſto ad ſiniſtram. Hinc hi per Seithan, id eſt, per Satanam deducentur per præruptos montes ad Abyſſum, ad cuius oſtium Draco magnus, igniuomis faucibus eos excipiens, ſalutabit. Poſt oſtium Abyſſi incipit pons ferreus, ſuper oſtium abyſſi expanſus, ita vt lunatam, quippe in medio elatior, in extremitatibus depreſſior, formam repræſentet. De hoc pontem abyſſum in principio, medio, & fine præcipitabuntur omnes impij, pro vt peccarunt, & cruciabuntur nigris flammis æternaliter. Qui in initio pontis deturbantur, non tam valdè peccarunt, ideò poſt centum, aut ducentos annos reducentur ex abyſſo, & lauabuntur primò ab Angelis, ita tamen vt macula nigra in fronte remaneat, quam poſtea DEVS etiam abluet, & in Paradiſum transferet.

De Scholis. Habent certè & *Scholas*, quas *Ochumach grileri* vocant, id eſt, ædificia in quibus pueri & puellæ inſtituuntur. Ad *Sarayo*, id eſt, palatium Sultani eſt atrium, in quo quingenti pueri, vel ex Chriſtianorum decimis, vel ex captiuis electi, & per augures explorati, inſtituuntur. Præceptor

ceptor horum vocatur *Hogſialar* al. *Capoglan Baſſa*, id eſt, ludimoderator. Poſt hunc ſunt quinquaginta alij præceptores, qui Capoglani, id eſt, decuriones vocantur: diſtributi enim ſunt Scholaſtici in decades, ſeu decurias. Hi per totam noctem candelas ardentes habent. In vrbibus etiam habent ſimiles ſcholas. Conſtantinopoli verò eſt, vt Academia, ſimiliter & Nicææ, quam Academiam Orchanes, anno Chriſti 1330. fundauit, in qua diſcunt artem regnandi, ex Ariſtotele & Platone: præcipuè verò diſcunt belligerãdi artem: Ex ſchola enim quotidiè poſt prandium educuntur in *Topchanam* id eſt, locum vbi varijs armis, præcipuè bombardis exercentur. Eſt & alius locus huic vicinus, qui *Lengiodam* vocatut, vbi nimirum gladijs & haſtis certant, inſtar pugilum noſtrorum. Alii verò qui non idonei ad Martis ſtudia, Mineruæ caſtra colunt, & præcipuè in Aſtrologia, Aſtronomia, Chiromantia, Phyſiognomia, ſimiliter & Poëſi exercentur. Carmina eorum, vt Ebræorum, Syriorum & Arabum tantum rythmica ſunt, & vltimæ ſyllabæ correſpondent, vt exemplum ſubiectum docet:

Birechen bes on eiledum derdumi
Iaradandam iſte miſcem Iardumi
Terch eiledum Zahmanumi gurdumi
Ne ileim ieniemeZum glunglumi.

Præterea mirificè exercentur in Arithmeticis, & Muſicis tam vocalibus, quàm inſtrumentalibus.

In Gyneceo Sultanarum etiam quingentæ puellæ erudiũtur, vt & in vrbibus ſingulis ſcholæ ſunt puellarum, diſcuntq; legere, ſcribere, numerare, orare, & nere.

Hæc meritò admiratione digna ſunt in tanta barbarie.

CAPVT QVARTVM
De Politicis.


Tiamſi Tyrannis potiùs, quàm imperiũ ſit Turcica poteſtas, cùm Mahometus dixerit ſe miſſum à DEO non verbis vel miraculis, vt Moſes & Chriſtus: ſed gladio vt Dauid (*ſic enim abutuntur exemplo Dauidis*) gentes conuertere: Tamen politici regiminis quædam veſtigia reſtant.

De Iudiciis

Cadileſcher vir ſpectabilis, eruditus & ſtipendio maximo ornatus δωροφάγος: cuſtos & executor eſt legum in ſua parte Orbis. Sunt enim tres Cadileſcheri: Natoliæ, Europæ & AEgypti.

Poſt hunc ſunt in ſingulis ciuitatibus Sangiaci & Cadini, quorũ vt ineffabilis δωροφαγία: ita innumerabilis eorũ eiectio. Nam Cadeleſcher quotannis hos viſitat, & iniquos, auaroſq; Cadinos, Subaſcas, Sangiacoſq; punit pro merito.

Actiones in foro.

Quando itaque quis agit in foro, & ab auaris Cadinis premitur, appellat ad Sangiacum, aut Cadileſcherum, aut etiã inde ad Baſſas, & deniq; ad Sultanũ ipſum, qui quotannis quater iudiciũ publicè exercet. Si Chriſtianus eſt, licet ei appellare ad Conſulem. Sunt enim in emporijs

Conſules

Conſules variarum nationũ, qui materno idiomate audiunt accuſatos abſq; interprete. Hos conſules confirmat, & tolerat Sultanus pro annuo tributo. Ad curiã turris eſt carceris, intus quaſi nidulos monedularum ſingulis captiuis ſingula receptacula præbens, in cuius medio eſt columna excauata, quæ per Siphones ſingulis captiuis aquam miniſtrat. In hac turri cuſtodiuntur captiui accuſati. Rei

conui

conuicti ſupplicio meritò afficiuntur. Et etſi Sultani crebrò genera ſupplicij mutant, quoties alter alteri ſuccedit, vſitatè tamen
1. Pœna talionis retinetur.
2. Blaſphemus comburitur.
3. Otioſus { Turcus plagis caſtigatur
Chriſtianus in exilium eijcitur.
4. Violator Magiſtratus cauda aſini alligatus per vrbem rapitur.
5. Citatus non cōparens Naribus & iure ſuo priuatur.
6. Falſis teſtibus ignominiosè per vrbem aſino ductis ſignum inuritur in fronte, vel manu.
7. Proditor palo infigitur.
8. Homicida decollatur.
9. Ebrius octoginta plagis corrigitur.
10. Violator virginitatis ignominiosè aſino impoſitus cum ſtuprata virgine per vrbem ducitur, & ſoluta dote centum inſuper ictibus caſtigatur.
11. Adulter centum plagis corrigitur. Adultera quatuor fœminis teſtibus conuicta, domi detinetur vt captiua, donec moritur, niſi Deus aliam ei viam oſtenderit.
12. Mendacium in coniugem dicens, vel 80. plagis corrigitur, vel 40. pauperes cibare cogitur: vel captiuum redimere.
13. Debitor incarceratur donec inueniatur medium ſolutionis.
14. Fur & latro ſtrangulantur.
15. Iniqua pondera, aut menſuras habentes, pro ratione delicti, vel certis plagis caſtigantur, vel decollantur.
16. Tranſgreſſor legum inferiorum certis plagis corrigitur.

17. *Carauansarai* seu hoſpitia publica in vrbibus & agris & ſyluis ſarta tecta ſeruant per ſuos Ianizaros. Singulis enim certos aliquot Ianizaros attribuunt, qui viatores cuſtodiunt, viam monſtrant, & de hoſpitio ad hoſpitium ducunt. Verùm hi Ianizari ſi ſentiunt te ditiorem, & pecuniam habere, facilè te interficient in itinere, vbi prima occaſio offertur: & quis accuſabit comitem homicidij, ſi ſolus ſis? Deprehenſi tamen tales Ianizari, cimetæris diſſecantur à Subaſſis.

De Nobilitate. *Nobiles (quos Tzlebios ſeu Zelobinos ſeu Celeuios vocant)* genere habent quidem, parum autem honorant. Sultani enim ſibi ab eis metuentes, ad nullas dignitates eos euehunt, ſed Mamelucos eis præferunt, vtpote quos quoties libet rurſū eijcere abſq; periculo ſeditionis poſſunt.

Virtute nobiles (quos Padiſcha-Humculari, id eſt, mancipia Sultani vocant) primum locum obtinent, vt qui rebus præclarè geſtis ad honores euehuntur. Nulla enim gens creditur tam liberalis erga virtute præſtantes, atq; Turci. Aſt vt maximè euehuntur: ita maximis obijciuntur procellis inuidorum, & ambitioſorum, & auarorum. Sæpè enim vel leuiſſima de cauſa traducti vel eijciuntur, & interficiuntur, etiam non auditi; dum delatoribus aures plus, quàm patulas *(vt Tyranni ſolent)* præbent. Ex horum numero Baſſæ nobiliores ſunt Ibraim, Hali, Hazon, Acomathes, Sinan, Ferrathes &c.

Hi ſi felicitate & opibus fruuntur, & placida morte *(quod vix contingit)* moriuntur, ſuis vxoribus & liberis nihil omnino hæreditare poſſunt. Omnia enim cedunt Sultano, *(aut certè potior pars)* qui orphanis donat quantum libet, & pro vt defunctus in fauore Sultani fuit.

Horum gradus facilè diſtingues ex comitatu, colore & præ-

& præſtantia habitus, adeoque ex reuerentia vulgi. Neque enim promiſcuè veſtibus vtuntur, ſed pro vt dignitatibus pollent.

Genere Nobiles rariſſimè præclarè geſtis noti redduntur, cùm nimirum ita priuatam quaſi vitam agant in ſuis caſtellis, & venationibus præcipuum vitæ tempus conſumant.

Familiæ nobiliores ſunt:

1. *Aſſimbæi* qui in Perſia plurimum ſunt, ſub Iſmaële Sophino.
2. *Candelori* qui in Ponto.
3. *Caramani* qui in Cilicia à Caramaniæ præfecto ſic dicti, & Ciliciæ nomen Caramaniæ dedit tẽpore Aladini.
4. *Ogucij* qui Candeloros & Caramanos deleuerunt, & regiam familiam; *(quæ mutato nomine* Othomanica familia ab Othomano *vocata eſt)* fundarunt.
5. *Michalogli*, al. *Michalines* à Michaële Græco Mameluco Othomam promotore. Ex hac familia nobilis eſt Achmetes, præfectus Achenzorum Solymanni, Viennam obſidentis. Præterea & *Chaſan*, qui tertio anno poſt Viennæ obſidionem à Friderico Palatino eſt cæſus cum ſuo exercitu.
6. *MarcoZogli* al. Marcocij, al. Malcocij, al. Malcozogli, à Marco græco Mameluco, Othomani euectore ſic dicti.
7. *Auramogli* al. Eurenoſogli ab Auramo Turco Othomani prouectore nuncupati.
8. *Ebrenes*, al. Vrenezes, al. Euronezes.
9. *Turachani* ſeu Turchanogli.

Imperator ſeu Sultanus ſedem ordinariam hodiè habet in vrbe Conſtantinopoli. Sedes regum autem fuit 1. Pruſæ. 2. Adrianopoli. 3. Conſtantinopoli.

1. Aula Imperatoria vulgò *Sercesserai* seu Porta vocata, ad littus maris sita. In hac est *Saraio*, id est, palatium auro, gemmisque pretiosissimis ornatissimum, in quo puluinaria pretiosissima vicem Throni supplent. Hoc palatium noctes & dies custoditur à Ianizaris, & scholasticis aulicis noctu faces ardentes alentibus. Quicunq; Sultanus debet regnare, is in hoc palatio à Ianizaris est coronandus, & confirmandus.

2. Eschizarai est gyneceum, quæ arx olim fuit sedes Imperatorum, sita inter columnam historicam, & domum Patriarchæ, ferè in medio vrbis.

3. Iadicula, id est, septiturris est arx omnium munitissima in qua thesauros suos habet Sultanus: sita in vrbis occidentali parte, quæ Vngariam spectat.

Nomenclatura Vocabulorum officia designantium.

Aga id est, centurio, ein Heuptman.

Alcanzus al. Akenzus, id est, eques fortunæ ein Schnapphane. Hi plerumque præmittuntur, vt viam præparent exercitui subsequenti.

Amiras, al. Emir, al. AEmir, id est, Rex. Sic Agarenorum Reges vocabantur.

Arbagizus, id est, Rhedarius Gutscher.

Arpaimin id est, præses victus Prouiantmeister.

Asagleri, al. Azapi, al. Asappi id est, pedites Fußgengel fußknechte.

Asapier id est, miles conductus ad quoduis vile officium (Troßbube.

Assitz id est, coquus Koch.

Bassa, al. VVascha, al. Bascha, al. Bazus, al. Bascia interpretatur caput q.d. Capitaneus, Heubt des Landes. Significat principem, præfectum prouinciæ Landtherr / Dominum Heubt. al. Locum tenens qui in rebus bellicis consulit & populo de iure respondet. Postea Bassa etiã significat quemcunq; præfectum vt: *Nisan-*

Nisangi Bassa id est, custos sigilli Imperatoris
Saray Bassa id est, præses aulæ Schloßheuptman.
Topichi Bassa id est, præfectus armorum Zeugmeister.
ZagarZi Bassa id est, præfectus canum Hundtmeister.
Zanigli Bassa id est, venatorum præses Jegermeister.

Hinc differentiæ caussa additur aliud nomen dignitatis, vt: *VeZir Bassa* al. *VeZier AZym Bassa* qui interpretatur consiliarius summus, dominus, vulgo *Visirobassa* al. *VeZiraZemis* id est, Archi satrapa: πρωτοσύμβουλος Oberster rath/ Innerlicher rath. Keiserlicher Secretarius, oder Rath.

Horum tres aut ad summum quatuor. Vnus enim in Europa, alter in Asia, tertius in AEgypto, & quartus in aula Imperatoris, qui ad reliquos ablegari solet.

Begus id est, comes, Baro, prouincialis Grafe/Freyherr/Landtherr. Postea significat quemcunque viliorem Dominum, vt: Scander Begus id est, Herr Alexander, seu Hali-Begus id est, Herr Elias: MusaBegus id est, Herr Moses, IbraimBegus id est, Herr Abraham.

Beglerbegus vulgo Bellerbeius, corruptè Peclarpaces est στρατοπεδάρχης, ἄρχων ἀρχόντων. Constablius Feldtmarschalck/Feldtoberster Serascher al.

De Beglerbegatibus infra suo loco.

Cadilescher, al. Caldelescher, al. Læscher Cadi est ἀρχικριτὴς πρωτοκριτὴς, princeps iudicum Ertzrichter: Estq; in vna parte orbis Landtrichter Arabicè Casi-Ascher.

Cadi, al. Cadin, al. Kady, al. Cadinus, est ἐξουσιάστης, κριτὴς Iudex primarius. Est in singulis vrbibus. Ein Oberster-richter: Stadtrichter. Est quasi vicarius Cadilescheri in singulis vel pagis, vel oppidis, vel vrbibus.

Chiaub, al. Chiobus Kammerbotte qui tempore necessitatis equos corradit, absq; vllius tuta interpellatione, tam inter

inter amicos, quàm hostes: habetq; potestatem interficiendi eum, qui recusat dare equum postulatum.
Chiaus, al. Tzausi al. Zausche/ est Ianizarus, qui comitatur viatores Gleitsman.
Chiautz, al. Chiaux al. Tzauci, id est, legatus ein Gesandter/ Ambassator, commissarius.
Chiauler, id est, lictor.
Calypha, al. Calyfa, al. Califfe, al. Heliphe, al. Seriffe, al. Seripha, al. Celpha, al. Kelepha interpretatur vicarius. Estque vt Papa id est, Imperator & Pontifex seu Rex, & Sacerdos. Hoc nomine vocantur etiam Reges AEgyptiorum, & olim etiam Saracenorum.
Caian, al. Cayan, præfectus captiuorum Sultani Kerckermeister.
Can, al. Chan, al. Chanis Tattaricum vocabulum, quod interpretatur Rex, Dominator, als Tatar Chan der Taterkönig. Corruptè Magnus Cham, pro, Magnus Chan Großkönig.
Hoc nomine & Turci vtuntur hodiè, Et in Africa Præto-Chan id est, venerabilis Rex, vulgo corruptè effertur pretiosus Iohannes: alij Priester Johan magis corruptè.
Caripizi, al. Caripicus est eques Cataphractus ein rüstreutter/ Kürisser. Sunt mille equites Imperatorem in bellum euntem sequentes.
Capizir, al. Capigitz, al. Capitzer, ostiarius, Ianitor ein Thorhüter/ Pförtner.
Cimerotus est præfectus castelli, aut pagi ein Schultheis.
Cozon est emtor & venditor hominum Menschenkeuffer.
Dafterdar, al. Tafterdar, al. Tephtar, Quæstor Rentmeister. sunt tres in Asia, Europa, & Africa. al. ein Kammerrath.

Despota, al. Despotes id est, dominus, fœmininum Despina. Sic vocantur principes seruiæ.

Dragoman, al. Druscheman, est interpres Dollmetscher / Außleger.

Emir, al. AEmir, al. Amir, al. Amiras, est princeps. Sic vocabantur Saracenorum principes, hodie vsitatiss.

Elemin est officialis ein Amptman.

Gellerh, al. Gelles, al. Chelles id est, Apparitor Stadtknecht.

Iazir, al. Chazier, est scriba, Notarius Schreiber / Copeisst.

Iareys, al. Iereys, al. Chereys est Amiralius, princeps classis, Amirall.

Ianizar-Aga, id est, centurio seu capitaneus Ianizerorum.

Ianisarus, al. Genischar, al. Genischer, al. Iantzaror, al. Gantsaroch ein Janitzscher / oder ein Janitschar oder Janitziehr.

Est miles Christiano sanguine natus, & religione vel Christianus, vel Musulmanus, vel Homarista.

Ianisari sunt præcipuè triplices
- Frontarii die Gräntzer *qui in præsidiis limitum collocantur.*
- Vagi qui vel
  - *Viatoribus adsunt* Gleitsknechte *per præscriptum iter.*
  - *In bellum educuntur* Feldtknechte.
  - *Educantur à Turcis, vt mittantur in bellum, loco Turcorum.*
- Solachi seu Isolaci Lackeyen *qui perpetuò adsunt Sultani lateri, semperque gestant arcum sagitta instructum, aut bombardam ad feriendum præparatam, vt quouis momento pro Sultano poßint explodere.*

Ex his Solachis Ianisaris, fiunt, pro vt bene se gerũt, vel
- Spachi, *al. Spachi-oglani id est, Ianizari equo donati* Portenreuter. *Horum mille semper sunt ad dextram Sultani in bellum, vel prouinciam euntis.* (Spachi alias etiam significat quemcumq; equitem, Einspenniger / Reuter.)
- Vlufagi *id est, Ianizari equo donati* Ritter. *Hi vndique instar coronæ cingunt suo comitatu, non tam ipsum Sultanum, quàm Spachos & Salustros.*
- Salustri, *al. Sulaphtan etiam equites mille ex Ianizaris creati, qui videlicet cingunt sinistrum latus Sultani.*

Ex horum numero plærumque sumuntur Bassæ & Begi, pro vt præclarè in bellis se gerunt, & pro latere Sultani agunt.

Imrahin, al. Imbrahin id est, vexillifer, signifer ein Fehnrich.

Kiral, al. Kyral, al. Kral, al. Crales, al. Chrales sonat Regem Bulgarico idiomate, cognatum Polonico Krol König.

Muffti, al. Muphti, al. Mophti id est, pontifex ein Bapst. Sic plærumque Patriarcham Constantinopolitanum vocant.

Muchti, al. Mochty, al. Muctinus est princeps augurum, & aruspicum.

Muthin, al. Mothy, al. Moctinus, est Iureconsultus, aduocatus.

Mechter, al. Mecter id est, Atriensis Pallastknecht.

Modecis id est, legisperitus, patronus legum.

Mutapharach id est, pedissequus Folgeknecht / folgeiunge.

Micaloglus id est, Dux Alcanzorum.

Muselin, al. Mosselin, al. Musallinus est Vasallus Lehnherre. Sic vocant omnes ditiores tam nobiles, quàm ciues qui alunt Ianizaros, quos suo loco in bellum mittunt, vel pedites, vel equites.

Muteferreca id est, nobilis aulæ Hoffiuncker.

Spahieri vasalli Lehnherrn qui pro ratione fundi vel ditionis certos equites alunt Sultano. Rittmeßige Lehnherren.

Peich, al. Pechy, al. Pechus id est, Tabellarius, nuncius Botte.

Peicler id est, nuncius Sultani Keiserlicher Botte.

Phlag, al. Vlach, al. Flach, est celer ein Postreuter al. Phlach. Pegasarius eques.

Simlie, al. Simli ein Postbote.

Saraemyn, præfectus viarum & platearum Gassenmeister/ Wegmeister/ qui vias & plateas tutas & puras reddit per suos ministros.

Sangiacbeius, al. Sangiacbegus id est, dux al. Ritterlicher Graff comes equo donatus.

Sangiacus, al. Sanziaco, al. Saniaco, al. Sancacus al. Sansacus ein Stadthalter. Obrister im gebiett: Oberheuptman/ qui vel aliquot oppidis vel pagis præest: vel in Emporijs certæ vrbis parti præest. In Emporijs enim habent duos vel tres, cum ea diuidant in tot partes, vt eò melius & citiùs iudicia exercere possint.

Schah, al. Schach est vocabulum Persicum, quod sonat Rex, Dominator.

Sophi, al. Soffi, impropriè sophus, rectius *Sophinus*, est Persicum & sonat Sanctus, Reformatus. Hoc cognomine seu Epitheto gaudent Persici Reges, propterea quod reformatum Alcoranum habeant.

Sultan, Syris & Arabibus significat Dominatorem. Extat & hæc vox in Daniele cap. 3. v. 2. Vnde patet rectiùs scribi Sulthan quod sonat, sceptrigerũ, Luthero Interprete. Latinè Sultanus, al. Soldanus, Soldan: Cognatum Schultheiß. Hoc nomine gaudent Turcici moderatores, als Sultan Stamboll id est, Cæsar Cõstantinopolitanus. Quidam interpretantur αὐθέντης, quidam corruptè reddunt aphendes.

Subasci, al. subascus 1. est Imperator Befehlhaber.
2. Significat & Baronem Freyherrn.
3. Significat & vicarium Cadini.

Tekiur, est ἁρμοστής, ἡγεμὼν præses Landpfleger.

Sic per contemtum vocabantur Imperatores Orientis à Turcicis regibus.

Visirbassa, vide Bassa Vezir Azem.

Vlusagi vide Ianizari.

Vlach vide phlag, vel phlach. Vscochi id est, piratæ Seereuber.

VVeida al. VVeiuoda. Transyluanorum lingua significat palatinum, comitem comitum. Pfaltzgraffen/ Ertzgraffen/ al. Landvogt.

Termini Turcici Imperij ex Beglerbegatibus innotescent.

1. Beglerbegatus Asiæ sunt 30.

Beglerbegus seu Bassa.

1. *Natoliæ residet in Cutaio Phrygiæ Vrbe, pannei 12. Sangiaci*
2. *Caramaniæ in Cæsarea Ciliciæ Vrbe 7. Sangiacis imperat.*
3. *Sebastiæ in Sebastia in Asia minore*
4. *Cappadociæ in Amasia 5. Sangiacis præest*
5. *al. Dulgadir 4. Sangiacis imperat.*
6. *Berrhææ in Alepo Vrbe.*
7. *Damasci in Damasco Syriæ.*
8. *Tripoleos in Tripoli Syriæ*
9. *al. Maras ad Armeniæ fines.*
10. *Mesopotamiæ in Vrbe Edessa 12. Sangiacos habet.*
11. *Babyloniæ in Babylone.*
12. *al. Balsaræ ad sinum Persicum.*
13. *al. Laxa.*
14. *Arabiæ felicis in Aden ad mare rubrum*
15. *al. Chebetz ad sinum Arabicum ad limites Preto Cha-ni seu Pretogiani.*
16. *AEgypti in Alcairo 22. Sangiacis imperat.*
17. *Cypri in Famagusta residet.*
18. *Aßyriæ, Persis vicinus.*
19. *al. VVan. circa Mediam & Armeniam.*
20. *Armeniæ maioris.*
21. *Iberiæ in Tifflis Vrbe Georgianorum.*
22. *Mediæ.*
23. *al. Temircapi ad Caspium mare.*

24. al. Ca

24. *al. Cars ad Armentam maiorem.*
25. *al. Tſchildit ad Georgianorum fines.*
26. *Colchidis ſeu Mongreliæ in Faſſa Vrbe reſidet.*
27. *al. Sochum.*
28. *al. Batin.*
29. *al. Reuan.*
30. *al. Somachie.*

Decem poſteriores ſunt vt recentiores, ita minores illis viginti priſcis.

II. in Africa.

Rex
- *Faſanus*
- *Marocco.*

Beglerbegus ſeu Baſſa
- *Caſair in Vrbe Algeſair*
- *Tuniſi in Tunis.*
- *Tripolis in Tripoli.*

III. In Europa.

Beglerbegus vulgò verò Baſſa.

1. *Græciæ al. Thraciæ ſeu Romaniolæ*
   - *reſidet Sophiæ*
   - *præeſt 21. Sangiacatibus qui ſunt in*
     - *Thracia*
     - *Macedonia*
     - *Theſſalia*
     - *Peloponneſo*
     - *AEtolia*
     - *Achaia*
     - *Albania*
     - *Seruia*
2. *Denirum al. Maritimorum*
   - *reſidet Calliopoli*
   - *præeſt 14. Sangiacatib. qui ſunt in*
     - *Archipelagi Inſulis.*
     - *Mediterraneo mari.*
3. *Budanus vel Vngariæ*
   - *reſidet Buda.*
   - *præeſt 15. Sangiacis qui ſedent in*
     - *Nouigrad*
     - *Filech*
     - *Setſchyn*
     - *Zolnock*
     - *Gran*
     - *Segedin*
     - *Stulweiſſenburg*
     - *Sexard*
     - *Simontorna*
     - *Coran.*
     - *Muhatz.*
     - *Sigeth*
     - Fünffkirch.
     - *Srimien*
     - *Semeudui.*
4. *Temeſienſis al. Temeſmat.*
   - *Reſidet Temeſiæ in Vrbe Temeſmat.*
   - *Imperat 8. Sangiacis videlicet in*
     - *Temeſmet*
     - *Medana*
     - *Vilaoſmar*
     - *Zianad*
     - *Vutzaturni*
     - *Iula*
     - *Vidin*
     - *Lipu*

5. Boßinus vel Bosnia	residet in vrbe Bagnialuca. Habet sub se nouem Sangiacos.
6. Capha	residet Capha in vrbe Taurica Chersonesi nuper Beglerbegus creatus non habet Sangiacos.

Annum diuidunt in 12. menses Lunares.

Duplices numerant annos: *Hegiras à natiuitate vel exilio Mahometi Prophetæ. Mahometicos ab ascensione, potius morte, Mahometi.*

Menses habent Lunares, vtpote à nouilunio ad nouilunium quorum nomina:

1.	Silchize,	Decembri	*nostro adhuc aliquo modo respondens,*
2.	Mucheren,	Ianuario	
3.	Sepher,	Februario.	
4.	Rebuel Euel	Martio	
5.	Rebuel Achir	Aprili	
6.	Zumasiel Euel	Maio	
7.	Zumasiel Achir,	Iunio	*Ex his 9.10. & 11. dicũtur eis menses quietis, & libertatis. Quicquid his mensibus incipiunt, id feliciter peragi credunt, quod plurima victoria testantur.*
8.	Rezeb,	Iulio	
9.	Schaban,	Augusto	
10.	Ramazan,	Septembri	
11.	Schevval,	Octobri	
12.	Silcade,	Nouembri.	

Lunam autem præ Sole adorant cum stellis & in vexillis gerunt, eò quod lucente Sole, seu interdiu non tam feliciter agunt, atq; noctu lucentis Lunæ.

In Se-

In Septimanas quatuor diuidunt mensem.

Dies Septimanæ sunt	1. Basar-Iuni	diei Solis Sontag	*nostro respondens.*
	2. Basar-Ertesi	Lunæ Montag	
	3. Salli	Martis Dienstag	
	4. Sar schamba	Mercurij Mittwoch	
	5. Peschemba	Iouis Donnerstag	
	6. Iumar al. Zuma qui illis dies feriarũ	Veneris Freytag	
	7. Zuma-Ertesi	Saturni Sonnabend. Affterfeirtag	

Horas numerant septem: (olim tantum Quinque secundùm Quinque precationes:)

1. *Temschi à Gallicinio ad ortum Solis.*
2. *Sabach-Namas ab ortu Solis ad Nonam*
3. *Custuc à Nona ad duodecimam seu Meridiem.*
4. *Oile à Meridie ad vesperam, quam LaZeran dicunt.*
5. *IKendi-Namas à Vespera ad occasum Solis.*
6. *Acsa-Namas ab occasu ad Nonam.*
7. *Iadsu-Namas à Nona ad Gallicinium,*

Hodie verò horologia & automata in aulis, Emporijs, & Episcoporum ædibus inueniuntur, vtpote ex nostris locis eò delata per Legatos Imperatoris & negotiatores. Insuper vulgò Clepsydris id est, aquis horologij vicem præstantibus.

Moneta Turcorum tantum characteribus nomen Sultani, aut Bassæ referentibus insignitur. Alcoranus enim prohibet picturas & Iconomachiam docet. Vnde olim monetas Christianorum non tangebant, nisi prius recudissent: Hodie verò Ioachimicos, Daleros quos Piastro

ſtro vocant & Ducatos *(bicipites)* Vngaricoſq; aureos præ ſuis aſpeis, & Altumleris amant.

Moneta eſt vel
- Cuprea vt
  - *Zibit* ein Heller *Obolus*
  - *Direm al. Drem, numus* Pfennig.
  - *Nuccar* Blaffert.
  - *Maguri* gilt einen guten pfennig *aliis* ein dreyer.
- Argentea vt
  - *Aſprus, vel Aſper, al. Achs, al. Accla*
    - *Maior* 9. Meißniſche Pfennig ein ſchilling.
    - *Minor* 8. gute pfennig ein Mariengroſchen.
  - *Medinus, al. Maidin, al. Mædyn, al. Maietyn* 16. gute pfennig / Batzen.
  - *Saietinus, al. Sagetinus, al. Sayetyn ferè* 3. Batzen / Schreckenberger.
  - *Schachinus, al. Schachy* 8. *Aſpros.*
  - *Drama* 4. Mariengroſchen 2. Batzen / 8. Kreutzer / oder Matthier.
- Aurea vt
  - *Sultaninus. Bizantinus id eſt, Ducatus à Sultanis publicatus* 52. *aſpros, hodie* 54. *aſpros.*
  - *Altumus, al. Altumler id eſt, Ducatus à Baßis publicatus* 52. *aſpros, hodie* 54. *aſpros.*
  - *Seraphinus, al. Saraffinus id eſt Ducatus AEgyptiacus,* 52. *aſpros.*
  - *Eſrephil, al. Serephil id eſt, Ducatus à Chriſtianis in Turcia publicatus* 52. *aſpros.*

Quidam tamen aiunt Altumler generaliter ſignificare aureum nummum.

Nota. Annotaui vſitatum valorem in ſcriptoribus noſtrorum vſitatè annotatum. Nam in Turcia valor monetarum aureæ & argenteæ creberrimè augetur, & minuitur: quoties videlicet nouus Sultanus creatur: aut Sultano maſcula ſoboles naſcitur: aut peculiaris victoria obtinetur. Vnde certus valor dari non poteſt.

Sultani

Sultanis etiam ſtatis temporibus tributa ſunt ſoluenda hoc modo: *Tributa*

1. Turci omnis ſexus & ætatis ſinguli quotannis ducatum pendunt. Extraordinariè verò tempore belli etiam contribuunt dimidium tributi Chriſtianorum. *Turcorum.*

2. Mameluci id eſt, Chriſtiani qui Mahometiſmum ſuſceperunt, præter ducatum etiam decimas filiorum tertio quoque anno, & extraordinariè dimidium tributi, quod Chriſtiani pendunt tempore belli. *Mamelucorum.*

3. Chriſtiani, qui ſub Patriarcha Conſtantinopolitano Chriſtum profitentur, duplo maius onus portant. Nam *Chriſtianorum.*

1. Singuli quotannis ducatum.
2. Quartam partem annui prouentus, de vino, oleo, frugibus &c.
3. Ducatum contributionis loco quotannis ſoluunt, Kriegßſtewer. qui non dat ducatum, cogitur dare filium.
4. Quinto quoque anno decimas liberorum, pecorum, auiumq; domeſticarum. Liberi ex decimis collecti vocantur *Azumoglani*, & in Sarayo educantur ad artes pacis & belli.
5. Quilibet paterfamilias ducatum ſoluit pro autonomia retinenda, hoc tributũ colligit patriarcha.
6. Patriarchæ & Conſules quotannis magnam vim pecuniæ *(vel* 3000. *vel* 4000. *ducatorum)* coguntur Sultano ſoluere & eo pretio dignitatem ſui officij redimere. Hoc faciunt conſules & patriarchæ. 1. Quando inaugurantur. 2. Quotannis. Id pecuniæ igitur â ſuis ſubditis corradere coguntur.
7. Si bella, & neceſſitas vel fames vrget, hebdomatim etiam certam menſuram vini, olei, farinæ,

hordei, auenæ &c. contribuere coguntur, cùm dimidium tantum dent Turci & Mameluci *(vt taceam interim honores & promotiones.)*
Hæ exactionum mitigationes, plurimos Christianos impellunt ad suscipiendum Mahometismum: cùm tamen illi honores & fauores tantum sint simulati. Dicunt enim de Mamelucis, quando inter se conueniunt, & Turcicè colloquuntur: *Isti à DEO suo deficiunt benefico, quomodo à nobis suis exactoribus non deficerent?*

CAPVT QVINTVM
De Principibus.


E Ducibus quæ dicenda erant hoc loco omittuntur, non quòd vel nulli fuerint, vel res memoratione dignissimas non gesserint, sed quòd *(vt liceat abuti verbis Hutteni.)*

Maluit illa ætas, quàm scribere, nitier armis
Edereq; insignes, quæ scriberet altera, pugnas.

Quapropter certum est eos, præter Tangrolipicem Mucaletum ex expeditione in Persiam notum Ducem, etiam plurimos habuisse pari virtute præditos. Ast dum in ista barbarie scriptores locum sibi tutum non inuenerint, quasi sicco pede præterimus Duces, & de principibus quantum restat, subijcimus.

Principes autem potius, quàm Reges voco eò quod titulum regium Calyphæ Babylonio reliquerunt, à quo suum principem confirmari volunt. Qui tamen potius reges vocare volet, suo abundabit sensu.

Monosti-

Monosticha de dominatoribus Turcicis memoriæ gratiâ facta

I. Principes.

Primus ad Euxinum rexit Taurumq; Zadochus.
Mesopotamiacos domuit Dogrissa secundus.
Cappadoces domuit sibi tertius Asp asalemus:
Antiochi muros Quartus, Petrumq;, Meleclas.
Volcmarum Quintus superauit Belchiarocus.
Vix sedit Sextus, germanus Belchiaroci.
Tattaricis sceptris Aladinus subijcitur vi.

II. Reges.

Tattaricas pedicas excussit rex Othomanus.
Orchanes Phrygios domat, Europamq; subintrat.
Tertius Archiuis Amurathes auxilium fert.
Quartus BaiZetes Tamberlani caueam intrat.
Quintus collapsas Celebinus restituit res.
Sextus Natoliæ Mahometes regna recepit.
Septimus Huniadis Amurathes prælia sensit.

III. Imperatores.

ByZantI domitor Mahometh prior Induperator.
Alter eum sequitur BaiZetes viribus æquis.
Tertius AEgyptum Selymus Syriamq; subegit.
Obsedit Quartus Solymanus recta Viennæ.
Quintus VVallachiam Selymus Cyprumq; subegit.
Sextus Amurathes Iaurini mœnia cæpit.
Septimus est hodie Mahometes Induperator.

1. ZADOCHVS 2.

Primus ad Euxinum rexit, Taurumq; Zadochus. 1051
Cum iam Saraceni & mutuis diffidijs, & Georgij græci

 Imperato-

Imperatoris armis admodum debilitati essent, Turci occasionem arripiunt diu desideratam, & sub prætextu auxilij Calyphæ contra Georgium præstandi, paulatim vrbes, regiones & regnum sibi rapuerunt, & anno Christi 1051. vnum ex suis Ducibus, Zadochum nomine, virum armis, animisque acerrimum, genere & ingenio verè Turcum, elegerunt, & à Calypha Babylonico nolente volente confirmationem sui principis obtinuerunt.

Hic Zadochus (*al. Zathocus al. Sadocus*) breuissimo principatus sui tempore, incredibili rerum successu partem illam Asiæ, quam Taurus & Euxinus limitant, sibi subiecit, & ita Turcici regni fundamenta posuit. Et quia tantum per biennium gubernauit accrescentem rem Turcicam, credibile est ipsum in ipso belli cursu vel veneno, vel insidiosè à Saracenis, præreptam potestatem ægrè ferentibus, sublatum.

2. DOGRISSA 23.

1053 Mesopotamiacos domuit Dogrissa Secundus.

Dogrissa, al. Docrissas, filius parentis Zadochi vestigijs insistens, fundamenta non tam firmare, quàm ampliare studuit. Quod quidem studium præcipuè Constantinus XII. Ducas, Imperator Orientis, promouit. Dum enim ignauia & auaritia diffluit, Dogrissa ad Constantinopolim peruenit, & plurima Byzantinis ademit, donec tandem partim peste, partim à Bulgaricis copijs est repulsus.

Non tamen iccirco animum abiecit, sed Artotum agnatum suum cum recollectis copijs misit ad sinistram, postquam ad dextram non successerat ex voto.

Artotus homo ad malitiam natus, Edessam (*quæ in sacris literis Rages vocatur*) metropolim vi expugnat, & ita

totam

totam Mesopotamiam sui Principis regno adijcit, & Præses Mesopotamiæ salutatur.

Ipse Dogrissa verò Ciliciam petit, virtute & armis plurimam eius prouinciæ partem Romano Diogeni adimit, ipsiusque copias secundo Marte profligat.

Hanc Imperatoris cladem, & Turcorum victoriam prædixisse perhibetur cometa, Anno 1066. in ferijs Paschatis apparens, & per integras tredecim noctes cauda suo vt gladio mœrorem, & mortem Græcis minitans.

Vt verò Græcis circa Tarsum occurrit, & feliciter eosdem profligauit, similiter in flore militiæ, principatus sui vicesimo tertio anno occubuit.

3. ASPALEM 10. 1076

Cappadoces domuit sibi tertius Aspasalemus.

Aspasalemus, al. Aspasalem, al. Aspasales, Dogrissæ filius Diogenem *(qui Eudociam Ducæ viduam ducens imperio potitus)* aggreditur: Solymanum nepotem cum vno exercitu versus Hellespontum mittit: Alterum verò ipsemet versus Austrum in Syriam ducit.

Solymanus noctes diesq; Nicæam ad Ascaniam lacum sitam, paulò ante terræmotu concussam, vi expugnatam occupat: & Sultanus Nicææ, seu Præses Nicænus appellatur. Quia autem vrbs ista admodum terræmotu & arietibus quassata iacebat, magno labore & ingenij acumine eam non solum restaurat, sed ita munit, vt arx inexpugnabilis, adeoq; propugnaculum Turcorum optatissimum esset contra Græcos.

Quia verò Hellespontum *(nauigationis ignarus)* traijcere nescit, retrocedit versus Orientem, & Cappadociam totam Turcico regno adijcit.

Aſpſalemus interim non diffluit otio, ſed cum altera exercitus ſui parte, Syriæ vrbes ſubigit: Cui Diogenes occurrit, & in itinere Calepum & Hierapolim, cum aliquot vicinis caſtellis recuperat. Aſpaſalemus hoc audiens Diogeni occurrit, & prodromos exercitus ſui profligat. Diogenes ad Theodoſiopolim aduerſus hoſtem pugnans, equo ex lethali vulnere collapſo, in hoſtium manus viuus deuenit.

Axanus Sultanus captiuum honorificè tractauit, & pactus cum eo fœdus certis conditionibus, ſanciendum connubijs liberorum, incolumem, ac muneribus ornatum dimiſit.

Interea quod in odio eſſet apud Endociam coniugem & liberos ex priore marito Conſtantino XII. Duca: Byzantini abſenti imperium abrogatum Micaëli Parapiriacio (*filio natu maximo Conſtantini Ducæ priuigno Diogenis*) tradiderunt: Qui vitricó ex captiuitate reduci oculos contra fidem datam eruit.

Hanc ἀστοργίαν DEVS ingenti fame, quam ſæuiſſima peſtis ſubſecuta eſt, puniuit.

Micaël Parapiriacius Philoſophicis diſputationibus & arithmeticis ludicris intēpeſtiuè deditus rempublicam hoſtibus diripiendam relinquit: Vnde Conſtantinopolitani cogunt Nicephorum Botoniatem contra ignauum Micaëlem, imperatorem conſtituere. Hoc videns Micaël Muſis relictis Martem arripit, & exercitum contra æmulum cogit. Nicephorus implorato Turcorum auxilio Micaëlem terret, & imperium ſibi aſſerit.

Aſpaſalemus autem, cum iam limites ſui regni admodum extendiſſet, & ſubactis prouincijs Turcomanniæ nomen impoſuiſſet, principatus ſui decimo anno fato ſuo functus eſt.

4. MELECLAS 9.

Antiochi muros Quartus, Petrumq; Meleclas. 1086

Meleclas (*al. Melecha*) patri ſucceſſit, & Solymano in Syria agenti auxiliares copias ſubminiſtrauit. Solymanus enim dubio marte, diu multumque cum Syris ſubinde rebellibus certat, & Antiochiam tandem longa obſidione eneruatam occupat.

Petrum Eremitam magnum Chriſtianorum numerum deuotionis gratia in Palæſtinam ducentem, ad internecionem vſque cædit. Petrus autem Dux eorum conijcit ſe in fugam, & redit in Germaniam, ſi alios poſſit educere.

Zachabus, Dux Meleclæ, inſulas Chium, Lesbum, Rhodum, & Samum vi occupat. Alexius Comnenus exercitu collecto Turcis occurrit, & in itinere Inſulas Cretam & Cyprum, antea à Saracenis præreptas recipit. Aſt Zachabus interim totam Aſiam littoralem Alexio adimit.

Meleclas autem cum iam nouem annis res Turcicas gubernaſſet, naturæ ſatisfecit.

5. BELCHIAROCVS. 3.

Volcmarum Quintus ſuperauit Belchiarocus. 1095

Belchiarocus nouas copias in Syriam ducit: Antiochiam nouis præſidijs munit: Volcmarum & Godeſcharum Sacerdotes religioſam expeditionem in Palæſtinam continuare ſtudentes in Syria littorali, virtute Solymanni partim delet, partim repellit.

Anno ſubſequente, Imperante Alexio Comneno in 1096 Oriente & Henrico 6. in Occidente, GODFRIDVS BILIONAEVS Dux Lotharingiæ, conſilio cõcilij Claremontani, conſenſu Imperatoris ſui, Ducatum ſuum paternum *Expeditio Bilionai,*

Epiſcopo

Episcopo Leodiensi (*alij Methensem vrbem paternam suis ciuibus*) vendit & omnem pecuniam in belli impendit apparatum. Similiter & plurimi alij principes, & nobiles & tota ferè Europa quisq; suis sumtibus amore religionis, & hortatu Petri illius Eremitæ, hinc inde per Europam concionibus suis (*erat enim vir facundissimus, atq; doctissimus*) homines excitantis, hoc iter sacrum cum Bilionæo ingrediuntur.

Et quia ingens copia Christianorum cruce notatorum militum confluit, exercitus diuidendus est. Et Godfridus Argonauta vnam partem, Alpibus & Italia peragrata, Hydrunti præcipuè nauibus imponit, & per Adriaticum AEgæum & Hellespontum Constantinopolim secundis velis, remisq; ducit. Alteram partem Balduinus frater Godfridi terrâ eodem ducere tentat, viam monstrante Petro Eremita.

Colomanus rex Vngariæ (*AEsopi non absimilis*) transitum eis non solum petentibus denegat, sed & se ipsis, vt latronibus opponit. Balduinus vt ad constitutum tempus se fratri cum suis copijs Constantinopoli sisteret, vi viam sibi facit, & Vngaros secundo Marte cædit. Audiens regem nouas copias adducere, Zemlinum vi occupat, ne transitus porro impediatur. Hoc Vngari animaduertententes clam eis victum & hospitium præbent. Colomanus ad Temesum fl. castra locat, & aciem adornat: vbi verò sentit Vngaros contra regium edictum clam facere, & proinde se parum feliciter pugnaturum cum Balduino, mutato animo non solum viam liberam, sed & victum sufficientem suppeditat.

Hinc Balduinus per Daciam, Mysiam & Thraciam etiam suas copias fratri suo Constantinopoli sistit.

Godfridus

Godfridus totum exercitum lustrat, & inuenit trecenta millia peditum, & centum millia loricatorum equitum.

Alexius Comnenus Imperator Constantinopolitanus, aliquid monstri ali ratus, viam ei non solum liberam permittit, sed & auxilijs suis quantum potest, iuuat, & naues plurimas subministrat, modò vrbem ab ipsis militibus crucigeris liberet.

Postquam Asiam Hellesponto superato, ingressi sunt, 1097
Raymundus Germanus cum aliquot militibus præmittitur, sed quarto die Turci & Saraceni ex insidijs eum adoriuntur: pugnatur acerrimè ab Ortu ad Occasum Solis vsque, & Raymundus cruentissimam obtinet victoriam.

Godfridus subsequitur, & totis viribus Nicæam obsidet, eamq; vigesimo obsidionis die (*videlicet 9. Iunij 1097.*) expugnat.

Solymanus Nicææ Sultanus, vir armis acerrimus, laborum patientissimus, in rebus gerendis prouidus, inter Turcos non habens secundum, sedem suam relinquere coactus, & fuga salutem quærere. Quapropter recollectis nouis turmis, omnia ad viam Christianis eundam, ferro & flammis vastat, ne vel victum, vel hospitium inueniant.

Godfridiani per vastatam & siccam regionem magno periculo pergunt, & tandem Iconium ad Tauri radices expugnatione occupatam vrbem Boiemundo Apuliæ duci, committunt, & vires recolligunt.

Verùm Solymannum redire & insidias struere sentientes, cautius iter ingrediuntur proximum, ita nimirum vt ab omni latere paratissimi exciperent hostem: currus & machinas bellicas in medio agmine ducentes.

Solymanus paratos ex insidijs adoritur, manum secundò cum Bilionæo conserit. At præter exercitum suum

etiam ante prælium virtute Christianorum territum, etiam propriam vitam amittit. Cum hoc Solymano Nicæno Sultano omnis virtus Turcorum & Saracenorum occũbit.

Christiani victores hoste superato Heracleam occupant, similiterque Tarsum deditionem facientem Taucredo concredunt.

Armenia vi & deditione subacta Palinuro, homini Armenio, armis acerrimo, demandatur.

6. N. FRATER BELCHIAROCI.

1098 Vix sedit Sextus, germanus Belchiaroci.

Dum Bilionæus in Syria agit vt victor, & Tattari ad Caspium similiter secundo Marte Turcos cædũt, Turcici Sultani planè perturbantur, adeo vt nesciant cui exercitui prius resistendum.

Frater Belchiaroci principatum suscipit, & contra Tattaros exire promittit. Proceres autem de primatu certantes, principem suum, vt imperitum adolescentem in minutissimas partes discerpunt. Hinc noua laniena oritur. Archoius enim vi principatum rapere conatur: resistunt Belchiaroci familiares: ita intestino bello Turci & Saraceni inuoluuntur, duce & capite carentes.

Godfridus crucigeros suos, Antitauro superato, per planiciem proximam deducit, & susceptam expeditionem continuat.

Raymundus Tolosæ comes, Antiochiam ad Orontem fl. sitam nono obsidionis mense, die 28. Iunij, noctu per Pyrrhi proditionem occupat: Cassianus Rex seu Sultanus Antiochenus cum paucis ciuibus elabitur, & in Antitauro salutem quærit.

In hac vrbe inueniunt abundantiam omnium rerum, idcirco

idcirco læti cruci geri vires recolligunt. Præcipuè verò lætitiam eis auxit *Hasta* inuenta, quæ dicebatur Longini fuisse, qua Christi latus in cruce aperuisset. Cassianus autem collectis profugis Saracenis, vrbem obsidione cingit, & Christianorum lætitiam in tristitiam trimestrem mutat, donec tandem ab eruptionem facientibus profligatur.

Godfridus vicina loca subigit, & in hyberna milites suos distribuit.

7. ALADINVS. 1. Mensem. 1098

Tattaricis sceptris Aladinus subijcitur vi.

Aladinus (*al. Aladinas al. Gouiates*) dux exercitus Turcici, fratre Belchiaroci dissecto principatum vi sibi rapit, contra Archotum, & Solymanum de eodem decertantes. Vbi verò Solymanus à Bilionæo cæsus fuit (*vt iam dictū est*) Archotus veteranorum consilio contra Tattaros proficiscitur. Aladinus ab ijsdem princeps salutatus, contra Christianos exercitum educit. Mox nunciatur Archoti mors & Tattarorum victoria. Aladinus reducit suos, vt Georgianis Tattarorum socijs occurrat. Tattari enim nouam expeditionem in Europam vsq; susceperant, & Turcos admodum angustabant.

Veterani Aladinum modo huc, modo illuc cedentem, & quasi hostem vtrumq; fugientem, interficiunt, & Solymanum Cappadociæ Sultanum, Ducem suum creant.

Quomodo verò ille duos diuersissimos diuersis in locis agentes hostes cæderet, qui copias non solum minutissimas,, sed etiam maximè discordes ducebat? Regnum in sese diuisum collabitur, & vt res paruæ Turcorum concordia creuerant: ita vicissim discordia magnæ dilabuntur.

1099 Sub initium veris Godfridus ex hybernis soluens, Tripolim obsidet, deditionem facientem præsidijs munit, & ad Bra fl. vires recolligit.

Quinto die per Berytum, nobile Emporium Saracenorum, & decimo die Cæsaream cum pertransisset victor, tandem Ierosolymas attingit.

Hæc vrbs erat illa, quæ ipsos ex Europa vocauerat. Non solum autem Saraceni: sed & profugi Turci quamplurimi in ea salutem quærebant. Quapropter Godfridus & Tancredus ab Occasu: Robertus Flandriæ Comes à Septentrione: Raymundus ab Austro vrbem oppugnat, & tandem quadragesimo die obsidionis, id est, 15. Iulij die Veneris eandem expugnat.


Sic quadriennij spatio Lycaoniam, Ciliciam, Commagenam, Mesopotamiam & Syriam cum perdomuisset, *Godfridus Bilionæus Primus Rex Ierosolymitanus est creatus*, & non aurea, sed Spinea, ad exemplum Christi, corona est coronatus.

Turci & Saraceni exercitum nouum *(quingentorum millium militum)* recolligunt, & Ierosolymas recuperare laborant. Godfridus autem rex eos cædit, & 18. Iulij animam suam Christo commendat, vndecimo mense regni sui. Successit ei frater Balduinus Bilionæus, qui reliquias Turcorum, & Saracenorum exstirpauit cum suis successoribus, ex quibus adhuc populi in montibus, & cauernis Libani inueniuntur, qui Trusci vocantur, & gloriantur sese ex posteris Bilionæi, & quia in cauernis & præcipitijs Libani habitant, à Turcis subigi nondum potuerunt hactenus. Hac ratione discordes Turcici principes, & Saracenici Sultani cum Calyphis per Tattaros ab vna parte, & per Christianos ab altera parte ad Mediterraneum Asiæ deleti

deleti sunt. Vsque adeo nulla salus in dissensione, etiam inter barbaros, conspicitur, Cœsare teste. Atque ita desijt & altera potestas Turcorum.

CAPVT SEXTVM

De Regibus Turcorum.



A Christianis & Tataris debilitati Turci paulatim vires recolligerunt, & inter Græcos prouincias sibi rapuerunt, quas inter se distribuerunt, & *Caramanum*, mediterraneis Phrygiæ: *Sarchanũ* maritimis Ioniæ: *Calanum* Lydiæ: *Amuræ* filios Paphlagoniæ: *Sasanum* Magnesiæ: *Othomanũ & Teciam* Bithyniæ præfecerunt. Hi postea ambitione inflati, de primatu certarunt, & religionem suo bello intestino prætexunt, vt nimirum Homaristas Reformatos deleturi. Hoc bello deleti sunt ita, vt tantum quatuor familiæ relinquerentur Assimbeiorum, Candolorinorum, Cammanorum, & Oguciorum. Quæ & ipsæ vlterius vrserunt intestinum bellum, donec Othomanus auxilio Micaëlis, Marci & Aurami (*qui singuli singulare genus nobilitatis suo nomine plantarunt, vt antea dictum est.*) Rex Musulmanorum contra Homaristas (*quibus Persia etiamnum adhæret*) & eorum regem Vsuncasanem ex Assymbæorum familia, salutatus est. Vsuncasanes autem se Sophi Schach id est, sanctum Regem appellat, eò quod stet à partibus Reformatorum, seu Homaristarum.

Nota

Numeri in sequentibus sic intelligendi sunt (*sicut & in præcedenti capite de principibus.*)

1. Numerus vel præcedens vel sequens in margine, indicat annum Christi, quo cœperunt regnare Rex, vel Cæsar.

2. Numerus nomini præpositus ostendit, Quotus sit Rex, vel Cæsar.

3. Numerus nomini additus monet, Quotus sit Rex vel Cæsar eius nominis.

4. Numerus vltimus nomini postpositus ostendit, Quot annis regnauerit.

5. In Synchronorum annis numerandis duos numeros inuenies. Maior numerus ostendit annum Christi quo incœperint vel sedere pontifices, vel regnare Reges, adiectus numerus docet, Quot annis regnauerint. Exemplum Andronicus pater cœpit regnare in Oriente A. C. 1282. & imperauit 43. annis. Sic de reliquis iudicium esto.

1300 ## 1. OTHOMANVS 28.

Tattaricas pedicas excussit Rex Othomanus.

Natales. Othomanus, al. Osman, Orthobuli Zichi (*Musulmani seu orthodoxi viri, cuius proprium nomen fuit Zichus*) armentarij ex nobili Oguciorum familia in *Soguta* id est, Iteæ seu salicum vico inter Trapezuntem & Prusam sito, natus, cum in iuuentute pro fatuo haberetur, & tamen paulo post egregium sanæ mentis, & præcellentis virtutis specimen edidisset, & gigantem à Iohanne Comneno, cum exercitu contra Aladinum Iconiæ principem missum, in monomachia superasset, ab Aladino oppidum Othomanzicum præmij loco accepit. Hanc villam, seu oppidum breui post arce ampliauit munitissima, & cum iam ad regnum eueheretur, vrbem amplissimam fecit, ciuibusq; Christiano sanguine procreatis commisit, vt qui in bellis egregiam nauassent operam. Ab hoc oppido suam etiam familiam, vtpote Oguciorum, vocauit Othomanicam, & à subditis Othomanus est vocatus, cùm alias proprio nomine Gasinus,

ſinus, al. Delinus, al. Mahometus dictus perhibeatur.

Et quia omne ſtudium collocauit in bellis gerẽdis, etiam maximis ſumtibus Chriſtianos, vt præſtantiſſimos, & maximè idoneos milites ſibi educauit, & inſtitui curauit in oppido Sar *(Othomãtzico proximo)* vocauitq; nouo nomine Geni-Sar, quod interpretatur *iuuentus bellica ex oppido Sar.* Hanc iuuentutem bellicam Chriſtiano ſemine natam, Amurathes II. in ordinem redegit, vnde vulgo putatur inſtitutor Genizar, ſeu Ianizarorum, vt vulgo vocantur. *Ianizarorum origo.*

Vbi igitur ſibi de tali exercitu ſelectiſſimorum militum proſpexit, regnum ſuum Muſulmanicum, non tam defendere contra Homariſticũ, quàm ampliare tentauit. *Res geſta.*

Quamobrem Orchanem filium, natu maiorem, exercitu inſtructiſſimo contra Chriſtianos Græciæ miſit, qui ſubinde in eorum oppida & pagos irruit, homines & iumenta & pecora abduxit, & Nicæam cum vicinis caſtellis deuaſtauit. *Nicæa.*

Pruſiæ princeps, prædationibus Turcorum excitatus, exercitum conſcribit, & prædonibus iſtis ſe obijcit. Othomanus his ſuccurrit, pugnatur acriter, *Gundus Elpus & AEdogdinus*, duo filij Othomani cadunt in prælio: victoriam tandem obtinet Othomanus: Quare filios ſepelit, & hoſtes profugos ad Pruſam vrbem ſequitur.

In itinere autem Vlubat vrbẽ deditione accipit: Mox Pruſam, Principum, ſeu Regum Bithyniæ ſedem, obſidione cingit, & vndiq; viam obſeſſis intercludit. Elapſis aliquot diebus Chriſtianos obſeſſis auxilia adducentes cædit, & obſidionem Orchani filio commendat, longè lateque in Chriſtianorum pagos, & agros hoſtiliter graſſatur.

Ioſephus itaq; princeps Bithyniæ, vidẽs Pruſam vlterius

rius non posse defendi, contra Turcorum insultus, cœpit de deditione cum Orchane agere, & cum vtrinq; conuenissent, Christiani relictis omnibus mobilibus, & immobilibus rebus, cum Iosepho principe suo in exilium iuerũt, & *Prusa.* Prusam Turcis reliquerunt A. C. 1327. A. Mahometico 726.

Dum verò hoc bello occupatur, Rhodum insulam amittit, A. C. 1307. Nam hospitalarij S. Iohannis, audi- *Rhodus.* entes Othomanum Natoliæ bello implicatum, Rhodum Insulam Marte & arte domitam sibi subijciunt.

Similiter Franciscus Daudalus, Dux Venetus A. C. 1326. Petrum Zenonem misit cum ingenti classe in Syriam, qui plurimos Turcos captos suspendit, & non exiguum terrorem incussit.

Mors. Post captam Prusam Othomanus, dolore pedum laborans, dum quieti se tradere parat, pariter morbo obruitur corporis, & Anno Christi 1328. regni 28. naturæ debitum exoluit Prusæ.

Soboles. Filii eius:
- *Gundus-Elpus* } *qui ambo in prælio ad Prusam occubuerunt.*
- *AEdogdinus.* }
- *Orchanes*
- *Hali seu Elias, al. Halinus.*

Synchronici eius.
- *Imperatores*
  - *Orientis Bizantini*
    - *Andronicus pater* 1282. 23.
    - *Andronicus filius* 1325. 29.
  - *Occidentis Romani*
    - *Henricus VII. Lucelburgẽsis* 1308. 6.
    - *Ludoicus IIII. Bauarus.* 1314. 32.
- *Pontifices*
  - *Bonifacius VIII.* 1295. 8. *Qui intrauit vt Vulpes, regnauit vt lupus (al. leo) expirauit vt canis.*
  - *Benedictus XI.* 1303. 2.
  - *Clemens V.* 1305. 11.
  - *Iohannes XXII.* 1316. 11.
  - *Nicolaus V.* 1327. 7.
- *Electores Brandeburgici.*
  - *Conradus I.* 1304. 1.
  - *Iohannes III.* 1305. 1.
  - *VVoldemarus I.* 1306. 13.
  - *VVoldemarus II.* 1319. *contra quem Ludoicus senior à Cæsare est constitutus.*
  - *Iohannes IV.* 1322.
- *Nicolaus Lyra Brabantus in Anglia illustrauit glossis sacros codices A. C.* 1320.

2. ORCHANES 22. 1328

Orchanes Phrygios domat, Europãq; subintrat.

Orchanes (*al. Orcannes, al. Vrchan, al. VrchanGasi*) filius O- *Natales.*
thomani, vir ambitione patri non absimilis, re militari *Ingenium*
peritior, copijs instructior, apparatu opulentior, primus
sagittarios in hostem eduxit: liberalitate animi, facilitate morum, dexteritate ingenij, felicitate imperandi, commoditatis opinione ingentem sibi vndiq; multitudinem comparauit, & mirificè obædire docuit.

Præoccupatis animis eorum, qui patris fuerunt fami- *Res gesta.*
liarissimi, rebelles Bassas (*al. volunt fratres*) Paphlagoniæ fugiens, in Olympum montem se recepit cum suo exercitu, & occasionem oblatam arripiens, eos, longiore interuallo diuisos audiens, singulos seorsim adortos cædit, & ad regnum emergit.

Fratrem Halinum, seu Eliam non solum non interfecit, sed vt virum prudentem, & consilijs potentem secũ quàm fraterno animo habuit. Huius enim consilio in felix sui regni auspicium, Nicææ templum augustissimum, Hospitale nobile, & Academiam seu scholam magnam fundauit in gloriam DEI, & gratiam suorum.

Filium Solymanum Nicææ Bassam: Amurathem, natu minorem filium, Prusæ Sangiacum constituit.

Solymanus sua largitate, & lenitate, imò singulari pietate sua vicinas vrbes, & oppida Græcorum facilè ad Mahometismum, & deditionem perduxit, præcipuè illos, qui Græcorum petulantiam, & seditionem vlterius ferre recusabant.

Interea Orchanes Paphlagoniam, Lybiam, & My-

ſiam ſibi ſubiecit, & præcipuè vrbem Pergamum.

Iohannem Cantacuzenum (*regem græcorum, tutorem filiorum Andronici*) à Palæologis inteſtina odia continuantibus, Byzantio eiectum, familiariſſimè excepit, & non ſolum auxilium ſufficiens ac reſtitutionem promittit, ſed & filiam eiuſdem vxorem duxit, in perpetuæ amicitiæ vinculum. Et quia ipſemet bello Phrygiæ implicatur, Solymano filio exercitum cõmittit, & Cantacuzeno adiungit.

Turci primo in Europam vocantur.

Turci diſcunt nauigare.

Solymanus iam antea à Gazicle al. Chatite Baſſa (*qui in Europam traiecerat, & omnia viderat*) Europæ felicitatem magnificè deprædicari audierat: Iccirco eò libẽtius, & ardentius hoc negotij in ſe ſuſcipit: imò & Turci ipſi (*qui hactenus neſcierant vſum nauiũ, & tantum virgis colligatis non ſine periculo traijcere conſueuerant*) maximo gaudio naues græcorum conſcendunt, nauium auxilio Helleſpontum, cum copijs armatis traijcere diſcunt: Græcos mutuis armis implicatos obruunt, & Cantacuzenum Byzantio reſtituunt.

Baſſa autẽ Nicææ Solymanus, Europæ fertilitate, & amœnitate captus, vt qui mirificè delectabatur venationibus, & viſitationibus locorum dirutorum, veterumq; monumentorum, omnibus modis id ſolum agit, *Ne reconcilientur græci, ſed bellum prorogetur*. Et vt eò tutius agat in Europa, arcem Zemenic, ad littus Helleſponti ſitum, tempore meſſis obruit, paulo poſt & vrbem Calliopolim, occupatæ arci proximam occupat, & ita liberum iter Turcis ex Aſia in Europam præparat.

Græci inteſtinis bellis eneruati, ſe petitum ſerpentem in ſinu alere ſentientes, pacis tranſactiones, at nimis ſerò, inſtituunt. Solymanus enim prætendens ſe pro affine ſuo agere, & rebellibus græcis hoſtem veniſſe, ſibi regnũ quærit: Cumque ſtipendium pactum ab exhauſtis græcis non

accipe-

accipere posset, occupatas vrbes, hypothecæ loco, retinuit. Tanto pretio pacem à vocatis Turcis redemerunt Græci. Ferunt Solymanum discessionem ex Europa, & occupatarum vrbium restitutionem promisisse, si græci Sexaginta millia drachmarum militibus Turcicis stipendium debitum numerarent.

Andreas Dandalus Dux Venetiæ, periculosum iter per Hellespontum ex hoc bello reddi sentiens, à Sultano AEgypti per legatos suos Marinum Faliers, & Andream Coronati, licentiam negotiandi per Syriam, & AEgyptum suis subditis impetrauit A. C. 1338.

Solymanus Nicææ Præses, Orchanis Filius, pace in græcia lætus, huc illuc obequitat, & dum aliquando liberiùs in venatione leporem insequitur, equo præcipitato delapsus, vitam miserè ponit, duobus mensibus ante mortem Patris, & in pago Plagiari, Callipoli vicino *(vtpote in quo hortum & viuarium habebat)* sepelitur. Id autem absque vlla pompa factum esse testatur res ipsa. Nam hodie nullum vestigium illic loci inuenitur de monumento Solymanni: aut sanè græci funditus deleuerunt, si monumentum ibi fuit.

Orchanes autem in Asia Prusam metropolin, & sedem Regũ Bithyniæ obsidet, vt suo regno eam restituat. Vt verò audiuit obsessis Tataros succurrere, ijsdem nimis festinans, imprudentius occurrens, ad Prusæ agros in prælio sagitta ictus, cum spiculum humeri ossibus infixum, absq; vitæ periculo extrahi non posset, ex febri coorta, vulnus non leue ridens, & proinde minus curans, animam exhalauit, A. C. 1350. Mahometis 749. regni 22. *Mors.*

Orchanis Filii. { Solymanus *qui secundo mense ante patrem obijt, in venatione ab equo præcipitatus.*
Amurathes, *qui patri successit.* } *Soboles.*

Orchanis Synchroni

- Imperatores
  - Orientis, Andronicus Iunior 1325. 29.
  - Occidentis
    - Ludoicus Bauarus 1314. 32.
    - Carolus IIII. Rex Boem. 1346. á pontifice electus.
    - Contra
      - Edoardum
      - Fridricum Pulcrum
      - Guntherũ SchWarzburgicũ
      - ab Electoribus electos.
- Pontifices
  - Nicolaus V. 1327. 8.
  - Benedictus XII. 1335. 7.
  - Clemens VI. 1342.
- Elector Brandeburgicus Ludoicus Bauarus cognom. Senior 1 3 1 9. filius Imperatoris homonymus patri, contra quem Carolus IIII. Imperator PseudoWoldemarum illum Molitorem confirmauit.
- Franciscus Petrarcha, insignis Poeta Romæ qui 1 3 7 4. ætatis 74. obijt,

ErIPIVnt terrIs fera CorpVs, fata PetrarChæ:
AVreoLO seMper peCtore notVs erIt.

1350 **3. AMVRATHES I. 23.**

Tertius Archiuis Amurathes subsidium fert.

Amurathes *(al. Murath, quod sonat desideratum)* filius Orchanis animi robore, & laborum tolerantia superioribus nequaquam inferior, imò simulandi dissimulandique egregius artifex, & fallendi magister, qui nusquam fidem & iuramenta seruauit, quoties augendi regni gratia fieri potuit: præstans vocis vocalitate, sermonis æquitate & comitate; ad honorandum vel vilissimos expeditissimus, verbis paucissimus, corpore deformior & debilior. Prusam seu Prusiam regni sedem Tataris repulsis recuperauit. Hinc iudicium reformauit, iudices & sacerdotes ordinauit, & omnia quæ ad pietatem & iusticiam Mahometicam faciunt

Ingenium

faciunt, egregiè procurauit, & ad exemplum Caroli IIII. Pragæ Academiam fundantis, 1360. etiam anno 1366. Academiam Turcicam in Belezno vrbe Asiæ fundauit, similiterque & templum, & hospitale.

Anno 1363. Marcus Craieuicius Despota Bulgariæ à proceribus Græciæ excitatus, Palæologo rebellans Byzantium obsidione cingit. Iohannes Palæologus Imperator cogitur à Turcis auxilium contra rebelles suos subditos, coronam imperij captantes quærere. Amurathes promtus cum duodecim millibus Turcis in Europam traijcit, Marcum repellit, & Calliopolim, quam hactenus hypothecæ loco habuerat, dono accipit ab Imperatore: cui & autor est bellum continuandi, nec cessare, aut vllam conditionem, aut deditionem suscipere.

Interim dum Imperator dubitat, cui parti subscribat, suisnè consiliarijs pacem suadentibus, an verò Turcis bellum contra rebelles Græcos continuum volentibus: nouæ copiæ 60000. Turcorum ad Calliopolim duobus Caraccis id est, nauigijs Genuensibus nautis sexaginta millia ducatorum naulum soluentes, traijciunt, & Thraciam hostiliter cum penetrassent, & aliquot oppida, & castella subegissent, Adrianopolim obsidione domitam suo regno subijciunt. *Adrianopolis.*

Hoc tempore cum plurimos captiuos Christianos in Asiam deducerent, Ianizarorum numerus nouis militibus est auctus, nimirum filijs Christianorum captiuis, qui prioribus Ianizaris commendati, vt instituerentur in arte militari.

Amurathes secundum sui animi vota omnia succedere videns, ab Imperatore Græco mansionem in Europa impetrat, & Adrianopoli sedem elegit, prætendens se hac

ratione citiùs & expeditiùs posse Imperatori adesse contra rebelles Turcos.

In Seruia verò 50000. Christiani conueniunt, & Adrianopolim obsident. Amurathes nouas copias ex Asia duxit in Europam, & Seruios somno, vinoq; sepultos noctu obruit, atque ita Adrianopolim liberat.

Iohannes in Græciam rediens, vt imperio consulat, filios, Emanuelem Lesbo: Theodoricum Peloponneso præficit: Andronicum autem, vt successorem, retinet.

Conspiratio filiorum contra parentes.

Andronicus Palæologus cum Sautze Amurathis filio clam conspirat, & coniurat vterq; in mortem sui parentis, vt citiùs regno potiantur. Hæc coniuratio filiorum in parentes detegitur: parentesque inito consilio & pacto, quisq; suum filium quærit. Amurathes quidem suum ad Apicridium castra locantem inuenit, Bassas eius pro sua eloquentia in suas partes reuocat, Sautzen filium in Didemotychum fugientem subsequitur, vrbem deditione accipit, & filium, secundum pactum, oculis priuat: Proceres qui cum eo senserant, in mare præcipitat, parentesque cogit, vt quisque suum filium trucidet: quotque recusarunt filios rebelles occidere, ab Amurathe dissecti sunt.

Iohannes similiter suum Andronicum, iuxtà conuentionem, aceto feruido in oculos infuso excæcat.

Inde Marcum Craieuicium Bulgariæ, & Lazarum Bulcouicium Seruiæ Despotas aperto marte adit Amurathes, & omni sæuitiarum genere crudelissimè Seruiam vastat, Lazarumq; captum cimetæra dissecari iubet.

Carbilouicius.

Carbilouicius autem seruus Dominum suum ita ad supplicium rapi videns, rem istam indignè ferens, & tamen deditionem simulans, occasione arrepta petit Amurathen

rathen supplicij istius spectatorem, & aliquot vulneribus inflictis trucidat. Hic fuit exitus Amurathis 1. Intestina *Mors.* eius in campo Cosabo, cadauer reliquum Prusæ mumiatum ad Thermas sepelitur, anno Christi 1373. Mahometis 772. regni 23.

Amurathis primi filij:
- *Iagupes, al. Iacuppus, al. Iacobus, qui vt regni æmulus occisus est à fratre.*
- *Baiazetes al. Paiasith, al. Paiazites, qui successit patri*
- *Sauzes, al. Zauces, qui à patre excæcatus obijt.*

Synchroni:
- Imperatores
  - *Orientis, Iohannes VI. Palæologus 1354. 30.*
  - *Occidentis, Carolus IIII. 1355.*
- Pontifices
  - *Innocentius VI. 1352. 9.*
  - *Vrbanus V. 1362. 8.*
  - *Gregorius XI. 1370. 7.*
- *Elector Brandeburg. Ludoicus Romanus 1349. 20. Pseudovvoldemari deletor.*
- *Bartolus de Saxoferrato Vmbriæ oppido, Iureconsultus Clarissimus, Senator Caroli IIII. eximius, qui Perusij ex morsu rabiosi canis exstinctus est, ætatis 46. Christi 1355. anno.*

Militiæ vexilla sacræ fert Bartolus: errat
Qui sibi vult alium præposuisse ducem.

4. BAIAZETES I. 25.

Quartus Baizetes Tamerlani caueam intrat. 1373

Baiazetes primus (*al. Baiazites, al. VVeiasit, al. Baiasit*) cogno- *Ingenium.* mine Hidryn, seu Gildrun id est, fulmen, filius Amurathis primi, vir corpore paruo, animo magno, ambitioso, & prouido ad præripiendas hostibus occasiones.

Fratrem Iaguppum natu maiorem, vt iustum regni *Res gestæ.* hæredem ad se accersitũ, lætoq; animo, & citato gradu aduenientem crudelissimè strangulari iussit, vt solutus omni metu

metu æmuli, liberiore animo imperium contra Christianos Græciæ propagaret.

Hinc Marcum Craieuicium Bulgariæ principem, eo ipso in loco, quo pater à seruo transfossus, cum exercitu eius cædit, Mysios vastat indeque Thessaliam, Macedoniam, Phocidem Bæotiam, & Atticam regiones paucis annis ferè totas suo regno adiecit. Ad hanc victoriam non parum operæ contulerunt discordiæ Græcorum, & expeditio Venetorum, aduersus rebelles Candiotos, seu Cretenses.

1389 Quare animo elatus, cum insuper & Stephani Bulcouitij Despotæ Seruiæ filiam vxorem duxisset, & vinum bibere à Christiana vxore didicisset, exercitum lustrat, & imperatoriam affectans maiestatem Constantinopolim obsidet: vidensque vires vrbis, cunctando eam expugnare decreuit, & propterea partem exercitus sui ad vrbem relinquit: alteram verò partem educit in Bossinam, & VVallachiam, vicinasq; regiones, & eas variè affligit, ne obsesso Imperatori opem ferant.

Iohannes Palæologus obsidione grauiter pressus confugit ad VVenceslaum Imperatorem Occidentis, adeoq; ad Carolum VI. Galliæ regem.

VVenceslaus contra Turcos.

VVenceslaus fratrem Sigismundum Vngariæ Regem iuuenem viginti annorum cum ingenti exercitu in Boëmia, Silesia, Saxonia, Belgio, & Dania collecto mittit in Græciam. His se iungi Iohannes Burgundus, comes Niuernensis cum exercitu Gallico à Carolo VI. missus.

Sigismundus per legatos suos Baiazetem initio monet, vt ab alieno imperio manum retrahat. Hos legatos Baiazetes secum retinet, donec prius totam Mysiam occupauit: tum demum legatos dimisit, & dixit eis *Ite, & regi vestro*

vestro dicite, mihi ius esse in Mysia: si non credet, accedat, & vel muri, & parietes, arietibus quassati testabuntur.

Hoc Sigismundus audiens, exercitum suum iratus educit vlterius, & Germanos, Gallosq; de colle in lata planitie cernens, inquit ad Iohannem Comitem:

Non modò iam Turcos, sed & ipsos vicero cælos.

Quare Rascia superata, Oristun, Budinum, & vicina Bulgariæ castella recuperat. Cumq; obuios Turcos leuibus prælijs terruisset, Nicopolim per sedecim dies terra, marique obsidet.

Baiazetes in sua celeritate vsus, in vigilia Micaëlis 1394
200000. Turcis stipatus Sigismundo se obijcit: præmittit aliquot copias, quæ leuibus prælijs Germanos remorentur, donec aciem, suo more, lunatam instituat. Galli à Sigismundo primas partes impetrant, primumque congressum cum Turcis. Turci Sultano suo morigeri fugam simulant, donec aciem suam Galli perturbent: Galli subsequuntur fugientes & cum sibi victoriam, & æternam laudem persuasissent, vident planè contrarium, & se præsentissimæ morti proximos. Lunata enim acies eos excipit, ita vt Galli desperabundi ab equis cataphracti desilirent, & omnes pariter succumberent. Paucissimi retro currunt ad Germanos, eisque animum & arma sua fuga, & vociferatione excutiunt.

28. Septẽbris pugna ad Nicopolim.

Sigismundus nihilominus reuocat suos, & aciem instruit. Boëmi in fronte collocati, cum hostem vix aspexissent, terga vertunt. Germani, vt qui soli vim Turcicam sustinere non valerent, subsequuntur: Iohannes Bulcouicius Despota Seruiæ *(qui 15000. viris Baiazeti ex pacto opem ferebat)* fugientes excipit. Sigismundus denuo acie vtrunq; instructa se ei opponit: ast 20000. Christianorum acie

gladij cadunt: Sigiſmundus & Magnus Magiſter Rhodi nauigio arrepto per Iſtrum Conſtantinopolim fugiunt, vt vitam ſaluent ſuam.

Baiazetes ſpolijs, & victoria onuſtus, in Aſiam redire properat, & cum iam traijcere pararet Helleſpontum, incidit in nauigium, quod vehebat profugos Sigiſmundi, & Magnum Magiſtrum Rhodi. Pugnatur nauali certamine: ibi ſi non adfuiſſet claſſis Rhodia, & Thomas Moccenigo amiralius claſſis Venetorum, & ſuccurriſſet Sigiſmundo, certò fuga ſalutem non inueniſſet. Sed Baiazetes ſua felicitate contentus, non admodum eis ſe opponit. Sequenti die antequam omnis exercitus conueniret, & traijceret, Baiazetes ſentiens cruentam ſe obtinuiſſe ad Nicopolim victoriam, plenus irarum, omnem furorem ſuum in captiuos euomit, ſolus Iohannes Burgundus, vt iuuenis animoſus, & ſingulare quid præ ſe ferens, gratiam inuenit. Cum igitur captiui iam nudati adducerentur, & ſupplicio afficiendi eſſent, Baiazetes ad Iohannem Burgundum conuerſus ait: Ecce quia iam omnes tui ſocij funditus delendi, agè, elige prius quinq; ex illis, qui tibi in tuo carcere ſolamen adſint. Iohannes Burgundus, comes Niuerſiæ, Philippi filius, ſibi cariſſimos ſocios quinque (*maluiſſet quingentos*) Gallos eligit. Quo facto, carnifices gladios Turcicos, ſeu Cimetæras ſtringunt in nudatos captiuos. Cumque iam & Buccicaldus (*al. Buciand*) Conſtablius Galliæ nudatus adduceretur, Iohannes largiſſimis lacrymis ora rigans, ſupplex procubuit, & etiam Buccicaldum liberat è manu carnificis (*aſt hic Buccicaldus admodum ingratus poſtea fuit, dum nimis inhumano modo in Iohannis poſteros ſæuit.*)

Hac ratione ſeptem hi Galli reſeruati viui in Aſiam dedu-

deducti sunt, & Prusæ in carcere detenti, donec tandem Iohannes Mitylenarum princeps ducentorum millium aureorum pretio soluto, ipsos redemit. In huius rei memoriam familia Burgundica concatenatum torquem in suis insignibus ostendit.

Palæologus concepta spe frustratus, & per Sigismundum non liberatus, legatos mittit ad Tamerlanem, eo ipso tempore victoriosè Tataros Turcis præripientem, adeoq; Syriam & AEgyptum vastantem, ab eoq; auxilium contra obsessores Turcos per suos legatos petit, Constantinopolim ipsam, hypothecæ loco, ipsi offerens.

Tamerlanes *(al. Tamerlanus rectius Tamer--lan id est Tamer claudicans)* rex Scytharum, cognomine Cuthlum, quod interpretatur ferrum fortunatum, dictus, vir procerus, barbatissimus, vno pede breuiore, humeris latis, adeoq; Hannibali Carthaginensium per omnia simillimus, decies centenis millibus (400000. *equitibus, & 600000. peditibus*) armatorum Aracosiorum, Sogdianorum, Bactrianorum, Hircanorum, Comagenorum, Parthorum, Medorum, Massagetarum, & Insulariorum ex rubro mari, & Persico sinu *(copiis sanè Xerxis conferendis)* instructus, ad Iaxarten fl. castra locat: inde Natoliam, & Armeniam. Turcorum regiones vastat, si hac ratione fratricidam *(sic Baiazetem vocabat)* ab obsidione vrbis reuocet. Inde Euphrate fl. traiecto, Cappadociam ingressus, Sebastiam vicesimo primo obsidionis die oppugnat: Orthobulus Baiazetis filius capitur, & paulo post in carcere necatur, si filij morte fratricida à Byzantij obsidione reuocari possit: Reliquos Turcos captiuos, equorum pedibus conculcandos substernit.

Baiazetes, qui iam Constantinopolim ferè ad deditionē

coëgerat, audita clade ſuorum, exanimatus vrbe relicta traijcit in Aſiam, corradit militem ab omni, qua poteſt, mundi plaga, trecenta millia equitum, & bis centena millia peditum contra Tamerlanem educit, filios Celebinum & Muſtapham, vt generoſiores, & magis regno idoneos alio ablegat *(vſq; adeo mens præſaga mali)* ne tota familia intercidat. Tamerlanes Baiazetem in lata, amplaq; planitie inter Stellam, & Antitaurum montes, in confinio Galatiæ, & Bithyniæ, caſtra locantem, & aciem inſtruentem

1379 obruit: Concurritur ad Stellam montem, eo ipſo in loco,

pugna ad Stellam. quo olim Pompeius Mithridatem vicit: pugnatur vtrinq; acerrimè, & callidiſſimè, quippe Magiſter cum Magiſtro congreditur, ita vt Euphrates plus ſanguinis, quàm vndarum in mare raperet: Sole iam inclinante Baiazetes ſuos diffugere, ſuum equum ſagittis confixum concidere videns, in pedes ſe conijcit, cum fideliſſimo filio Moſe *(qui à patris latere nunquam diſceſſit)* Aſt ad Angorium denuo concurritur: Sub ortū Solis cadunt centum quadraginta millia Turcorum, & bis centena millia Scytharum: Pater cum filio capti adducuntur Tamerlani commoranti. Tamerlanes Moſen filium dimittit, Baiazeten patrem verò retinet, aureiſque catenis ligat. Interim & vxor Baiazetis adducitur captiua, cum ſuo Gynæceo. Fabricatur cauea ferrea, cui includatur fratricida, qui iam regno Turcico per 25. annos præfuerat. Nam Baiazetes, & Tamerlanes colloquium habuiſſe dicuntur, in quo primo Tamerlanes DEO gratias egit pro victoria, & poſtea quæſiuit ex Baiazete: *Quid feciſſes mihi, ſi me cepiſſes?* Baiazetes reſpondit: *Ferreæ caueæ te incluſiſſem, & omni ludibriorum genere te claudicantem affeciſſem.* Tamerlanes reſpondit; *Iudicium placet, fiet tibi, quod mihi feciſſes:* & ita caueæ incluſus eſt. Tamerlanes per hyemem in Aſia manſit.

Adhæc & legati Byzantini ab Emanuele Palæologo missi, accedunt victorem Tamerlanem, & elegantissima oratione testantur, suo Imperatori tantam vim pecuniæ non esse, vt debitum stipendium tot, tantisq; Scythis soluatur, ac proinde oppignoratã Constantinopolim, adeoque suum Imperatorem, & seipsos victori glorioso offerunt. His Tamerlanes respondit: Absit à me tale facinus: *Nolo tam celebrem & liberam, adeoq; è Tyrannide Turcica iam liberatam vrbem in Seruitutem redigere.* Neque enim veni mihi vrbes, bonos Dominos habentes subijcere, sed veni bono Domino, à malo presso, succurrere, & pro libertate pugnare. Quamobrem ite, & vestro, etsi pauperi, tamen bono Domino obœdite, & monetote, vt huius officij sit memor, & olim, si res poscat, gratitudinem facto vtili declaret: Hic autem fratricida, & hostis libertatis mihi pœnas luet meritas.

His peractis Tamerlanes ad suum se regnum recipit, Baiazetem ferreæ caueæ inclusum vehit secum, & toti Asiæ deridendum propinat, & insuper scabelli loco eum habet. Quoties enim equum conscendit, toties fratricida è cauea eductus, & procumbens scabelli vicem præstat, rursusque caueæ includitur. Quoties cibum sumit, toties fratricida è cauea adductus, & sub mensa tripodi aureis catenis alligatus, ossa & micas instar canum ore, vtpote vinctis manibus, colligere cogitur, dum nullus alius cibus præbetur. Dum autem maritus sub mensa cum canibus ossa rodit, vxor Filia Lazari Despotæ seminuda stat à poculis Tamerlanis, eiusq; procerum: Oenochoa quo animo fuerit, facilè quisque percipit, præcipuè quando nulla ei potestas data, alloqui maritum, aut ei cibum, vel potum præbere.

Gemmarius quidam ditiſſimus, quoduis pretium ſoluturus pro Baiazete rege, hoc reſponſi accepit: *Tu gemmas cura, ego, de fratricida, non de rege ſupplicium debitum vt ſumam, curabo.* Nam potentes potenter tormenta patientur.

Mors. Baiazetes verò cum tot & tanta ludibria diutius ſuſtinere non poſſet, innumeris ictibus capite ferreæ caueæ clathris perfracto, illiſoq; cerebro, altero à captiuitate anno vitam in Scythia finiuit.

Filij Baiazetis.
- Orthobulus al. Muſſamanes, *qui à Tamerlane, in carcere occiſus, reliquitquè filium Zichum, & filiam N. qui capto patre Conſtantinopolim fugerunt, & ibi obierunt.*
- Iſa al. Ieſſe al. Ieſus, *qui vel in prælio occubuit, vel à Baſſis eſt ſublatus:*
- Moſes al. Muſa, *qui cum patre captus, ſed à Tamerlane rurſus dimiſſus copias patris recollegit, & Celebino reſiſtere tentauit.*
- Celebinus *qui patri à Baſſis eſt ſuffectus contra Moſen al. Solymannũ*
- Mahomethes *al. Muſtapha, ſed falsè.*
- N. Filia *quæ Conſtantinopolim cum fratre Muſtapha miſſa eſt,*
- Caſan. al. Caſanes *al. Hali.*

Synchroni.
- *Imperatores*
  - *Orientis*
    - *Iohannes*
    - *Andronicus* 1384. 3.
    - *Emanuel* 1388. 30.
  - *Occidentis VVenceslaus filius Caroli IIII.* 1379. 21.
- *Pontifices*
  - *Romæ*
    - *Vrbanus VI.* 1378. 11.
    - *Bonifacius IX.* 1390. 14.
  - *Auinioni*
    - *Clemens VII.* 1378. 15.
    - *Benedictus XI.* 1394. 30.
- *Elector. Brandeb.*
  - Otto Romanus 1369. 4. *qui anno Christi 1373. Marchiam Imperatori Carolo IIII. ſocero ſuo pre 200000. Vngaricis vendidit,*
  - VVenceslaus 1373. 5.
  - Sigismundus 1378. 39.
- Bartolus Niger Monachus Franciſcanus, & Alchimiſta *nobilis, qui A.C. 1380. bombardas inuenit in monaſterio ſuo.*

Sabinus

Sabinus.

Hoc inuenta fuit sub Cæsare machina belli,
Cuius ab impulsu mœnia quassa ruunt.
Concipiens rapidum quæ fomite sulfuris ignem,
Acta procul nitri puluere saxa iacit.
Atq; coruscantis flammas imitatur olympi,
AEthera terribili concutiente sono.
Ceu vibrata cadunt trifidis vbi fulgura telis:
Hoc sibi Germanus vendicat autor opus.

Qua occasione & ratione inuenerit ostendit Additamentum Vrspergense fol. 404.

Ars beLLI LangVet: strIDens reperItVr arVnDo.
PropeLLIt fortes qVæ VIoLenta gLobos.

5. CELEBINVS. 6.

Quintus collapsas Celebinus restituit res. 1398

Celebinus (*al. Calapinus, al. Calippinus, al. Tzelebi, al. Chialab, al. Solymanus*) cognomine Cyricelebes (*quod interpretatur Dominus nobilis*) filius Baiazetis, vir valetudinarius, à patre contra Tamerlanem eunte remissus, Prusæ honorificè à Bassis exceptus, & patri suffectus est. Mosen fratrem cum exercitu recollecto venientem metuens, in Europam fugit, & Adrianopoli, vt loco tutiori mansit. Moses Epicuri de grege porcus, regnum parum curans, hinc inde oberrat quasi solo exercitu metum omnibus alijs & Celebino incussurus, & genio indulget. *Ingenium.*

Celebinus autem fœdus iniuit cũ Emanuele Byzantino, & in pignus amicitiæ Casanem fratrem cum sorore ei tradit. Hocq; pacto pace impetrata vrbes, & arces restaurat & omnia alia ad bellum necessaria. Mahometen fratrem Bassæ titulo ornatum, in gratiam suscipit, & coniuncti id *Res gestæ.*

vnum

vnum agunt, vt in Europa recipiant, quod pater in Asia amiserat.

Duo Imperatores et duo Pontifices.

Hanc reuiuiscentem Turcorum potentiam non parum fouerunt discordiæ Christianorum. Nam duo Imperatores simul erant VVenceslaus genio potius, quàm imperio indulgens, & Fridericus Bronsuicensis cui ad Frislanam confosso substitutus est Rupertus Palatinus ab Electoribus. Præterea & duo Pontifices simul sedebant, vnus Romæ in Italia, alter Auinione in Gallia. Hic iam quasi cœlitus oblata occasione tempus erat aliquid præclarè gerendi contra Turcos, sed schismata Europæ obstiterunt.

Hoc ipso tempore & in Turcia noua secta *Sophilarorum* extitit, qui præcipuè inuehebantur in Turcorum superbiam, & vestes leuitatem referentes, adeoque in luxum, quem à Mose vini vsum melius & magis ostendente, acceperant. Quia verò tantum mores taxabant, ferè nullibi locum inuenerunt, & sponte sua quasi euanuerunt.

Vt verò Celebinus se viribus aliquo modo adauctum sensit, exercitum contra Ismaëlem Synope principem eduxit, eoque victo magnos prouentus annuos ex eius loci venis metallicis suæ cameræ procurauit.

Hinc & Bassas suos armatos in Bulgariam & Macedoniam misit, qui admodum hostiliter omnia vastarunt. Celebinus autem ipse ad Callipolim nauale prælium cum Petro Lauretano Venetorum classis amiralio committit; verum vt non satis instructus, & classe pugnare non edoctus, victus & profligatus ad suos se recepit terminos.

Interea Emanuel Palæologus, rursus crescentem Othomanorum potentiam suspectam habens, Isthmum muro (*qui Hexamilum vocatur, quod eius longitudo sex miliaria Italica, seu sesquimiliare germanicum minus*) obducit, veluti olim

Pelopon-

Peloponnesij tempore Xerxis fecerant, quoniam perfossionem (*antea à Demetrio Iulio & Nerone Imperatoribus & Herode Rege aliquoties frustra cœptam*) irrito conatu denuo tentare noluit.

At Celebinus vt vir valetudinarius in flore ætatis extinguitur anno Christi 1404. Mahometis 803. regni 6. completo, septimum iam inchoans. *Mors*

Filij eius perhibentur
- Orchanes *qui à Mose strangulatus.*
- Mahometes *qui forsan puer obijt. neque enim potuit (euehi.*
- Mustapha *ad imperium est euectus.*

Synchroni Celebini.

Imperatores
- Orientis Emanuel Palæologus 1388. 30.
- Occidentis, Rupertus Palatinus 1400. 10.

Pontifices
- Romæ
  - Bonifacius IX. 1390. 14.
  - Innocentius VII. 1404. 2.
- Auenioni
  - Benedictus XI. 1394. 30. *remotus.*

Elector Brandeb. Sigismundus 1378. 39. *qui anno 1388. Marchiam Iodoco Marchioni Morauiæ patrueli suo oppignorauit. Sed quando A. C. 1411. Imperator salutatus, eandem Marchiam A. C. 1417. 18. Aprilis Friderico V. Burgrauio Noribergensi in Feudum dedit in concilio Constantiensi.*

Baldus Perusinus, IC. Clarissimus, qui 1400. 20. Aprilis *diem suum obijt: Fuit Epitaphium tale:*

Conditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Perusina natus in vrbe.

Tamerlanes ille Chan Scytharum obiit 1402. 27. *Ianuar.*

LVX VbI fVLgebat post PaVLI tertIa festVM
TattarVs ILLe orbIs VICtor & horror obIt.

Nota.

Quidam hunc Celebinum omnino omittunt, vel quod Turci eum non habeant, & interim Solymanum etiam omittunt, quem Turci numerant, & Solymanum primum vocant: vel quod impediat numerum duodenarium, eò quod

contendunt tantum duodecim principes ex Iſmaële naſcendos, & ſi Celebinum annumerent, Amurathes 3. eſſet Tredecimus quod putant contra ſcripturam ſacram 1. Moiſ. 17. v. 20. eſſe.

Quidam duos, quidam tres fratres Reges numerant: Solymanum, Celebinum, & Moſen, cum tamen ſolus Celebinus, quem Turci Solymanum vocant, ad regnum euectus: Moſes verò genio indulſerit.

Quidam interregnum ſexennale ſtatuunt, & Sex illos annos partim Baiazeti, partim ſequenti Mahometi adſcribunt.

1404

6. MAHOMETES I. 14.

Sextus Natoliæ Mahometes regna recepit.

Ingenium. Mahometes primus, Celebini frater, fratrem Moſen, Caramaniæ principis auxilio captum, ſtrangulari curauit, vel vt regni æmulum, vel vt patruelis Orchanis interfectorem. Hinc legatos ſuos ad finitimos Reges, & Principes miſit, pacemq; eis obtulit, vt reſtaurationem regni Turcici à fratre incœptam eò melius continuaret.

Res geſta. Hinc Caramaniæ rebellem Begum bello adortus eſt, & ad Iconium in prælio ſuperatum, captumq; in carcerem abiecit. Paulò poſt tamen gratiam inuenit, ea conditione vt præoccupatas vrbes reſtituat.

Quo peracto, Pruſa relicta, viciſſim in Europam traiecit, & Adrianopoli ſedem elegit, vt eò commodius VValachiam inuaderet. VVeiuoda VValachiæ videns ſe Turcis imparem, pacem petit, & præter tributum annuum etiam filium obſidem dat Mahometi.

Sigiſmundus Turcis ad Danubium tranſitum intercluſurus, cum ipſo ad Columbacium congreſſus, infeliciter pugnauit. Hinc Mahometes primam iram concepit contra Regem Vngariæ, vt VValachis auxilium ferentem. Verùm quia audit in Aſia nouas ſeditiones ortas inter

Baſſas

Baſſas, & Begos, vindictam ſuam in Regem Vngariæ differre cogitur, & prius motam turbam componere.

Quare Helleſponto traiecto incredibili celeritate non ſolum rebelles domat, verùm etiam ferè omnes vrbes à Tamerlane occupatas, recuperat.

Interea in Europa Conſtantienſe concilium celebratur, quod anno 1414. cœpit & 1418. finitum eſt. In hoc concilio 1415. 18. Iulij; die Lunæ M. Iohannes Huſſus pro hæreſiarcha combuſtus eſt.

Anſer Tarpei custos Iouis inclytus olim:
In Capitolini victores Huſſe Iouis.

A. C. 1416. Emanuel Chryſoloras Byzantinus Synodi membrum extremum 15. Aprilis vitam finiuit.

Ille eſt Emanuel peritura ex Hellade mœſtas
Qui primus Muſas tranſtulit in Latium.

A.C. 1416. 9. Septembris, die Lunæ M. Hieronymus Pragenſis, eodem in concilio damnatus, & combuſtus eſt.

Auſus Pontificum fœdos Hieronyme mores
Carpere: ſis Huſſi fidus vbiq; comes.

A.C. 1417. 18. Aprilis. Sigiſmundus Imperator *Marchiam Brandeburgenſem A.C. 1411. à Iodoco redemtam Friderico V. Burgrauio Noribergenſi, vt qui egregiam illi in bellis Vngaricis nauaſſet operam, in feudum dedit, à quo hodierna familia originem ducit, & inter Marchiones Brandeburgenſes vocatur FRIDERICVS PRIMVS.*

Taceo horrendam eclipſin Solis totalem 1415. 7. Iunij die Veneris, hora 8. A. M.

Mahometes victor Pruſam redit, & DEO ſuo templum à fratre inchoatum abſoluit, & inſuper ſcholam, & hoſpitale ampliſſimum. Dum hæc agit adhuc ætate floridus vitam finit Pruſæ anno Chriſti 1419. Mahometis 821. regni 14. *Mors.*

Liberi Mahometis.
- Amurathes *qui patri succeßit*
- Mustapha *quem impuberem pater moriens Ali-Bego commendauit, & in Ciliciam allegauit: ast tandem proditione curatoris captus, & strangulatus est.*

Synchroni Mahometis primi
- *Imperatores*
  - Orientis, *Emanuel adhuc imperauit.*
  - Occidentis, Sigismundus 1411. 27.
- *Pontifices*
  - Romæ
    - Gregorius XII. 1406. 8. *remotus.*
    - Alexander V. 1409. 1.
    - Iohannes XIII. 1410. 5. *abdicauit.*
    - Martinus III. dictus V. 1417. 13.
  - Auinioni
    - Benedictus XI. *etsi in concilio Pisano remotus tamen sedit.*
- Elector Brandeburgicus, Fridericus I. 1417. 24.

1419 7. AMVRATHES II. 31.

Septimus Huniadis Amurathes prælia sensit.

Amurathes eius nominis secundus, filius Mahometis, eius *Ingenium.* nominis primi, vir prudens, sagax, liberalis in milites heroicos, pro ingenij acumine satellitium regium reformauit, & ad exemplum Phalangis Macedonicæ Alexandri Magni Ianizaros numero auxit, & in ordines certos disposuit. Ad hoc enim tempus vsq; tantum pedites erant, & ab Othomano instituti. Iam verò benè meritos equo donauit, & à latere suo comites esse iussit, recens autem receptos satellites, pedites voluit. Quomodo autem disposuerit, supra capite quarto in nomenclatura est ostensum. Hi milites admodum magna habent priuilegia, & licentiam, adeo vt ipsi Sultani sibi ab ipsis metuant. Adhæc liberum eis est Mahometismum in quo instituuntur, si paruuli capiantur, & adducantur in Saraio, vel retinere, vel abijcere: si maiores sint, non necessario vrgentur recipere Alcoranum.

Regni æmulos habuit duos Mustaphas, videlicet Mustapham patruum, qui ex carcere fratris Mahometis aufugerat, & à Græcis in Lemno captiuus detinebatur: Et Mustapham fratrem in Cilicia, sub cura Ali-Begi, Bassæ Ciliciæ, Caramaniæ exulantem. Hos Amurathes, vt captiuos parùm metuens, quietem eligit, & paterno regno contentus, id agit vt iusticiam, & pietatem Othomanicam florentem habeat. *Res gesta.*

Byzantini, Baiazetes Bassa, & plurimi Bassæ & Begi Europæ hoc sentientes bellum pro pace diligentes, sibi regnum quærunt. Quamobrem Mustapham è Lemno reuocatum & exercitu Græco instructum, contra Amurathem patruelem mittunt, iubentes vt regnum, sibi debitum, recuperet. Verùm cum Mustapha iam per triennium restitisset, viuus captus, neruo arcus suffocatus, & de pinnaculo muri Adrianopoli suspensus est. Hunc Turci Pseudomustaffam vocant.

Græci hoc supplicio territi pacem petunt supplices, qua non impetrata, Mustapham Amurathis fratrem adolescentem tredecim annorum ex Cilicia aduocant, nouisque copijs contra fratrem emittunt. Hic Mustapha vi quidem Nicæam occupauit, ast à militibus fratris obrutus, & per curatorem Ali-Begum proditus, simili quo alter supplicio vitam perdidit, & Prusæ ad parentis monumentum, sepultus est.

Sublatis dicto modo æmulis, in Georgium seniorem Seruiæ Despotã arma mouet, eiusq; ditionem miserrimè vastat. & hinc Ibrahimum-Bassam Adrianopoli sepelit.

Sequenti anno quasi diuino oraculo monitus exerci- 1431
tum magnũ conscribit, præcipuè recreatus natiuitate filij Mahometis, peragrata Thracia, acceptisq; in deditionem

vrbibus, quæ Byzantino Imperatori reliquæ erant, Thesſalonicam vrbem Pauli epiſtolis, antiquitate, & mercatura nobiliſſimam vi expugnatam penitus diripit.

Inde Tomaro, & Pindo montibus tranſcenſis, continuo victoriæ curſu omnes regiones ad Iſthmum vſque, incredibili celeritate domat. Iohannes Caſtriotus princeps

Epirus deditionem facit. Epirotarum, Turcorum vim repellere cum non poſſet, pacem impetrauit hac conditione, vt Croiam cederet Amurathi, & filios Conſtantinum, Repoſium, & Georgium *(qui poſtea Scanderbegus vocatus)* obſides daret.

Epiro hac ratione capta, adeoque deinceps Illyride, Albania & Boſnia partim peruaſtatis, partim ſubactis, Bulgariam adijt, & Deſpotam denuò hoſtiliter viſitauit.

1438 Georgius Deſpota Turcicam vim cum vlterius ſuſtinere non poſſet, Stephano filio maiori Synderouiæ regnum, & arma contra Turcos commendat, aſſumtoq; minimo filio Lazaro in Vngariam ad Albertum auxilia allaturus proficiſcitur. Hunc reliqui prælati & proceres, ſubſequuntur Turcos fugientes.

Synderouia expugnatur. Turci hoc audientes partim Synderouiam obſident, partim vicinas vrbes Seruiæ domant.

Albertus Auſtriacus Georgij precibus excitatus, exercitum collectum Budam ducit, & ibidem audiens Epiſcopum Strigonienſem *(qui Archiepiſcopus Vngariæ, & coronæ, regaliumq; regni cuſtos)* obijſſe, retrocedit. Inde rurſus precibus Georgij vocatus, ſatis lento gradu ad Tibiſcum fl. venit, eoque ſuperato caſtra intra Tibiſcum & Danubium locat.

1439 Interim Turci Synderouiam menſe Auguſto expugnant, Stephanum, eiuſq; fratrem Georgiũ Deſpotæ filios ema-

emasculatos & exoculatos in carcerem detrudunt, & Bassam cum præsidijs in vrbe relinquentes in hyberna se recipiunt.

Albertus id audiens etiam retrocedit, & in itinere cum plurimos milites alui fluxu extinctos amisisset, ipsemet eodem morbo correptus, antequam Viennam attingeret, in pago Nesmel circa Posonium 27. Octobris moritur, & Albæ-regali solenni pompa sepelitur. *Alberti Mors.*

Georgius spe sua cadens, Amurathi supplex fidem & filiam offert, sperans se hac ratione regnum, & filios *(quos nesciebat excæcatos)* recepturum. *Despota deditionem facit.*

Elisabetha autem Alberti Austriaci *(Imperatoris Romani, & regis Vngariæ)* relicta vidua grauida *(filia Sigismundi Imperatoris)* regno præsenti in rerum discrimine volens consulere, consilio procerum Vngariæ, Ladislaum, Ladislai Iagellonis regis Poloniæ filium, Lithuaniæ ducem, sibi maritum quærere conatur. Ast dum legati Sponso talia renunciaturi in itinere adhuc morantur, ipsa 22. Februa- 1440 rij parit posthumum, vocatque Ladislaum: iubetque reuocari legatos, vt quæ iam filio velit regnum reseruare: Legatos, qui nihilominus suum mandatum effecerant, vt rebelles supplicio afficit, & cum infante Albam-regalem fugit. Quid multis? Ladislaus Polonus Sponsus venit, & Sponsam fugientem quærit. Hinc Vngaria in duas partes scinditur. Proceres à partibus viduæ stantes, Ladislaum posthumum *(Cum enim quatuor Ladislai in his historiis occurrant, eos sic distinguere volui, vt 1. vocem Ladislaum Iagellonem 2. Ladislaum Polonum Iagellonis filium. 3. Ladislaum Vngarum Casimiri Magni filium. 4. Ladislaum posthumum, filium Alberti)* Albæ-regali per Dionysium Zechinum Archiepiscopum Strigoniensem Cardinalem, coronant infantem Regem *Ladislaus Polonus Sponsus quæritur.* *Ladislaus posthumus nascitur.*

Vngariæ

Vngariæ in locum defuncti Alberti patris. Mater ciſtam quandam ſubornatam vt coronam, & regalia regni continentem, proceribus commendat, & cum coronato infante in Boëmiam & Auſtriam fugit, veramq; regni coronam & Theſauros ſecum aufert. Hinc variæ diſſenſiones, & plurium regum ſalutationes. Ladislaus Polonus, Sponſam non inueniens, partim blandis verbis, partim donis aliquot proceres Vngariæ in ſuas partes trahit, inter quos præcipuus fuit Iohannes Huniades comes Biſtricenſis, à patria Coruinus cognominatus (*à Turcis verò Ionco vocatur*)

Scanderbegus defecit. In Turcia non minores fuêre diſſenſiones propter defectiones Deſpotæ, Caramani, & præcipuè Scanderbegi.

Scanderbegus. Georgius enim Caſtriotus, Iohannis filius, qui hactenus cum fratribus (*quos, poſt mortem patris, Sultanus ſuſtulit, & Georgium reſeruauit*) obſidis loco in aula Turcica fuerat, & in Mahometiſmo educatus, & propter eximiam indolem Scander-begus quaſi alter Alexander, vocatus: cum iam ſolus Turcico Sultano aliquot victorias obtinuiſſet, ac proinde apud Sultanum per delatores clam accuſatus, ac ſi coronam affectaret, mutatum Amurathis animum ſentiens, qua potuit calliditate celauit metum (*Quærebatur enim ad mortem: iſta nimirum eſt merces bene meritorum apud Turcos, ſi delatoribus inuiſi ſiant. Nullam enim victoriam reliqui Baſſæ, aut Begi obtinuêre hactenus: Solus Scanderbegus columna erat regni Mahometici*) & aliquot copijs ſtipatus, contraq; Chriſtianos emiſſus, oblatam occaſionem arripit, & fugiendo in patriam fugit, nouoq; exercitu collecto apertum bellum Amurathi indicit. (*Hanc defectionem Barletius dicit A. C. 1424. factam.*)

Amurathes Muſtapham Baſſam, vt callidiſſimum mittit in Epirum, vt Scanderbegum capiat. Scanderbegus verò

verò Vranoconti Croiam, adeoque rem Epiri committens, cum suo exercitu in occursum Mustaphæ properat, eumque inter rusticos pabula quærentem ex improuiso obrutum cum 2000. Turcis cædit, & victor ad suos rediens, omnia in Epiro magis, magisq; munit.

Similiter Caramaniæ Bassam defectorem infelici prælio conatur reuocare. Interueniente verò Sacerdote reconciliatur Ibrahimus Bassa Caramaniæ Amurathi. *Caramanus defecit.*

Georgius Bulcouicius Seruiæ Despota, etiam se vt defectorem ad mortem quæri sentiens, thesauros regni corradit, & assumto Lazaro filio Ragusum fugit. Post paucos verò dies Amurathes senatum Ragusensem literis monet, vt reddat Despotam. Despota id audiens vlterius fugit, & operam suam Huniadi contra Turcos offert. *Despota defecit.*

Reliqui Bassæ Turcici in Seruia cum plurima deuastassent, vlterius pergentes quidam Belgradum Vngariæ propugnaculũ obsidione cingunt: quidã Nouiogradum expugnant. Iohannes Vranus Florentinus præfectus Belgradi literis Ladislao Polono suam sortem significat, & auxilium petit: & interea dum auxilium exspectat, per septem integros menses Belgradum defendit, & Turcorum inauditas vias euertendi vrbem sua prudentia intercludit, Turcosque repellit. *Alba Graca obsidetur.* *Nouigrad.*

Sub initium veris Isacus Bassa præses Synderouiensis Belgradum arctius obsidet. Huniades Sauo, Danubioque incredibili celeritate traiecto, intra Belgradum & Synderouiam castra locat, & callidè hostem à tergo aggreditur, & cædit, obsessosque liberat. 1441

Ladislaus Polonus Iohanni Hunniadi, Comiti Bistricensi victori, non solum regalia dona mittit, & gratulatur de victoria, sed insuper ipsum Huniadem perpetuum *Huniades fit VVeinoda Transsyl.*

Transsyluaniæ VVeiuodam, seu præsidem creat.

Mezethes hoc audiens Danubio, & Daciæ alpibus magno & periculoso labore superatis *Transsyluaniam* inuadit, vt nimirum Huniadem à Belgradi defensione reuocet. VVeiuoda Despotæ Belgradum committit, & assumtis aliquot copijs patriam defensurus Mezethi occurrere parat: Videns autem se copijs imparem hosti retrocedit, & auxilio, consilioq; Georgij Lepen Episcopi Taurunensis (*seu Albæ Græcæ*) hostem prædis onustissimum, & Danubiũ traijcere laborantem, noctu obruit: Mezethes insidias hinc inde struxerat, & Huniadis copiæ ab ijs profligantur, & Georgius Episcopus Taurunensis ipsemet occumbit. Huniades socij morte cognita rusticos armat cum ciuibus, & dolum sequenti dolo pellit.

Comes fidus. Simon quidam Transyluanus, Huniadi per omnia similis, subornatur armis equitum, & satellitio VVeiuodæ vt Mezethi occurrat. Huniades ipse à latere hostẽ aggreditur cum rusticis. Mezethes Simonẽ videt, & Huniadem VVeiuodam credit: Quare relictis omnibus alijs, & spretis rusticis in solo illo Simone moratur, neq; retrocedit priusquã illum sustulerit. Cœso igitur Simone pro Huniade duce seu VVeiuoda, sperat iam reliquum exercitũ deditionem facturum: verùm dum hæc securus sperat, sequenti nocte à vero Huniade obrutus, cum omnibus Turcis deletur. Erant enim non pauci captiui in Turciã adducendi, hi suum Dominũ rustico habitu, & comitatu ornatum agnoscentes, in suos abductores conuersi, præcipuam cladem Turcis inferunt. Hac ratione Huniades non solum *Mezethes cæditur.* Mezethen Bassam cum filio & 20000. Turcis cæcîdit, sed & innumeros captiuos liberatos in gratiam recepit, & in cacumine Alpium Daciæ monumentũ triumphale erexit:

prædam

prædam partim DEO, partim militibus, partim suo regi tribuit. Nam milites recreauit: Monasteria quædam restaurauit, quædam fundauit: currum, quem decem candidi equi Turcici trahebant capitibus Turcorũ (*inter quæ Mezethis, & filij, & tertij cuiusdam Bassæ senioris capita erant supremo loco erecta*) onustum Ladislao dono misit: additâ simul epistolâ, qua rogauit vt reconciliarētur Poloni, Vngari, Boëmi & Germani (*inter alia hoc ipso 1441. anno, & munitissima arx nobilissimorum nobilium ab Aluenschlebe, Erxlebia* (quasi Erichsleben seu Erici-sedes) *ab Henrico Mansueto Duce Brunsuicensi, & Othone Lunæburgensi duce arctissima obsidione cincta fuit, & tamen seruata*) mutuis bellis & obsidionibus se eneruantes, & coniunctis viribus contra Turcos veniant: cum Turcos hostes publicos repellere sit vtile & gloriosum: subditos intestinis vulneribus conficere noxium & probrosum. *Erxleben.*

Neq; verò surdis fabulam. Nam reliqui Europæ proceres magnitudinem periculi, & veritatem verborum Huniadis videntes, pacem quærunt, & præcipuè Ladislaum Iagellonem cum Vngaris: Ladislaum Polonum cum Elisabetha Ladislai posthumi matre reconciliant. Nam Iulianus Cæsarinus Cardinalis Legatus Pontificis, solenni ritu sponsos his conditionibus placat, vt regina ambas suas filias duobus fratribus Ladislao Polono, & Casimiro Magno desponderet. At reconciliatione iam confirmata, Elisabetha vidua mater Ladislai Posthumi Iaurini, al. Rabæ, moritur, dum in itinere adhuc est. *Reconciliationes.*

Similiter Boëmi, & Poloni, & Vngari in mutuam redeunt gratiam certis conditionibus, vtrinq; approbatis.

Hinc consilio & suasu Iuliani Cardinalis, omnes coniurant in deletionem communis Christiani nominis hostis, militemque per totam Europam conscribunt. *Coniuratio contra Turcos.*

Amurathes autem plenus doloris & irarum Sophiam ſe recipit, & alios exercitus conſcribit, quos per VValla-
1442 chiam mittat in Vngariam. Quin & alios in Albaniam, & Epirum contra Scander-begum, tertias copias in Aſiam contra Ibraimum Caramaniæ Baſſam. Sed Scander-begus deſiderabatur, & apud Turcos nulla victoria.

Quapropter ſuis rebus deſperãs Amurathes ſenectutem, luctumq; de Aladino filio, Amaſij defuncto, prætendit, & ſceptrum, onuſq; regni tradit Mahometi filio adoleſcenti duodecim circiter annorum *(alij volunt 15. annorum fuiſſe.)*

Amurathes abdicauit.

Ladislaus Polonus cum 15000. Polonis, Vngaris, & Germanis armatis Budam venit, exercitum luſtratum 15. Maij educit Belgradum. Baſſæus Baſſa ex Macedonia per Myſiam ad Iſtri ripas venit, caſtra ad Nicopolim locat, Danubium traijcit, VVallachiam vaſtat, & Tranſyluaniam petit. Huic ſe obijcit Iohannes Hunniades, cognomine Coruinus, pugnatur acerrimè, cumque vno die quinquies concurriſſent, tandem Hunniades palmam obtinuit 30000. Turcis cæſis, 4000. captis, & reliquis profligatis.

Sciabadinus Baſſa cum ſuo exercitu Belgradi obſidionem vrgere laborat. Verùm Ladislaus Polonus cum ſuis ei occurrit, conflictus vtrinq; fuit acerrimus, aſt tandem Sciabadinus ſuccubuit cum ſuis copijs, & Ladislaus victoriam reportauit.

Atq; hoc modo hi duo Scipiones coniunctis viribus triumphantes totam *Moldauiam*, & bonam Seruiæ partem recuperarunt. Neq; verò ſatiatus Huniades fuit, ſed exploratâ loci ratione, iter in Macedoniam inſtituit, & anguſtias Hemi montis *(Turcicè Isladi)* penetrare tentauit.

Moldauia & Seruiæ pars recuperatur.

Verùm

Verùm non tàm Caſanis (*quem vicit*) & Turcani (*qui fugit*) copijs, quàm violentia hyemis, & præcipitijs montium motus, ad ſuos redijt,& exercitũ in hyberna duxit.

Proceres Turcici pueri imperiũ pertæſi adeunt Amurathen Maniſſæ priuatam vitam agentem,& monent multis motiuis additis, vt recipiat ſceptrum, præſertim in tali rerum diſcrimine, vbi omnia videntur ruinam regni Turcici minitari. *Amurathes reuocatur.*

Amurathes ſororium ſuum Carambum-begum, Baſſam Phrygiæ (*al. Carambegus*) Baſſæi Baſſæ fratrem ex Aſia in Europam vocat, abſq; reſpectu frigoris.

Carambus begus celeritate Othomanica vſus Huniadi ſe obijcit, pugnatur acriter. Carambus equo in glacie hæſitante, & titubante capitur, & Scipionibus Ladislao, & Iohanni viuus offertur. *Carambus capitur.*

Georgius Deſpota Carambum virum ætate grauem catenis vinctum ad caminum videns, non tam obſtupuit, quàm in lacrymas largiſſimas eſt ſolutus. Cumq; Turcicè cum eo multa locutus eſſet, conuerſus ad Ladislaum ſuaſit, vt reduceretur exercitus.

Ea ipſa autem nocte, qua Carambus captus eſt, Alibegus Carambæi ſucceſſor eſt conſtitutus, qui nouo ſtratagemate, nimirum ad exemplum Fabij, rem cunctando agere decreuit. Aſt

Fallitur augurio ſpes bona ſæpè ſuo,

& nuſquam, Cæſare teſte, minus conſilijs reſpondet euentus quàm in bellis. Nam dum quàm callidiſſimè omnia hinc inde diſponit & frigori confidit, Ladislaus & Iohannes Huniades hyemis patientiſſimi irruunt in cunctatorem, pugnatur grauiter. Non tam enim cum hoſte, quàm cum glacie, & fruticibus erat pugnandum. Tandem

vterque vi frigoris fractus prælium dirimit, & Ladislaus Belgradum victor ingreditur, & in triumpho Carambum-Begum ostentat.

Angelus? an Monachus personatus. Sub noctem huius pugnæ contra Ali-Begum Adolescens ignotus stola candida indutus equo celeri Constantinopolim ingressus est, & cladem Turcorum nũciauit: insuper monuit ciues Byzantinos, vt vlterius pergant contra Turcos. Hoc sermone finito euanuit.

Noua expeditio cõtra Turcos. Quapropter nouæ induciæ inter tres illos Ladislaos in Polonia, Boëmia, & Vngaria sunt factæ, pariterq; noui apparatus bellici in Germania. Nam miles ex omni Germaniæ angulo, imò ex omni orbe Christiano conscribitur. Iohannes Huniades Coruinus VVeiuoda Transyluaniæ communi omnium consensu summus Dux militum Christianorum constituitur.

1443 Ineunte vere, in Asia Caramaniæ, seu Ciliciæ Bassa seu princeps, Christianorum victoria excitatus, denuo fide violata Pontum, & Bithyniam hostiliter inuadit, atque ita sibi regnum proprium quærit.

Scanderbegus Rex salutatur. In Europa Scander-begus Epirotarum Bassa seu princeps, à suis Rex salutatur. Franciscus Florentinus Cardinalis, amiralius septuaginta triremibus Hellespontum occupat, vt Turcis transitum ex Asia in Europam intercludat: Iohannes Huniades Coruinus ingentes exercitus abducit contra Turcos.

Turca pacem petit. Amurathes se, suasq; suorumque vires considerans, adeoq; Europæum magis, quàm Asiaticum hostem metuẽs, Legatos ad exercitum Christianum mittit, vt pacem petant, & ad Despotam Georgium, rogatq; vt intercedat apud Ladislaum, & Huniadẽ, & pacem pro virili suadeat, proq; eo beneficio promittit ei, non tam restitutionem filiorum, quàm regni.

Quia

Quia responsum differtur, non contentus primis legatis etiam secundos ad Huniadem, & tandem etiam tertios ambassatores ad Ladislaum ipsum ablegat, & quibuscumque modis potest, pacem flagitat. Legati postremi 13. Iunij Segedinum veniunt, & insigni oratione, qualem nemo facilè in barbaris istis quæsiuisset, vel pacem, vel inducias supplices petunt. Consultatur vtrinque varijs, multisque rationibus, & demum post multas parlamentationes, *Pax cum Turcis ad decennium* literis, & iuramento confirmatur. *Pax cum Turcis.*

Cum Franciscus Cardinalis Amiralius hanc pacem Iuliano Cæsarino Cardinali, legato-pontificio, retulisset, eum (*quod non aduocassent ad tales transactiones*) ira furiosum reddidit. Iulianus enim senatum Cardinalium conuocat, mandatum ex Eugenio pontifice elicit, in Vngariam volat, proceres conuocat, & in frequenti corona eorum, prolixa oratione testatur, has inducias omnino esse rumpendas, cum vel *iniquissimum bellum sit turpi paci præferendum, adeoq; fides hosti non seruanda.*

Interea Bassæ Turcici, ne violatores pacis videantur, absque omni interiecta mora vrbes Mysiæ, & Seruiæ restituunt Christianis (*sic enim inter alia conuenerant transactores pacis*) & 40000. ducatis Huniadi numeratis Carambum-Begum redimunt.

Poloni qui diu iam regem suum non viderant, Legatos ad Ladislaum Polonum mittunt, & monent vt tandem aliquando ad patrium regnum redeat, & iudicium, iusticiamque debitam administret. Parum verò impetrant. Respondet enim Ladislaus: redite in patriam, & pro virili concordiam conseruate, iam iam tertia victoria de Turcis cæsis, clarus redibo, & omnia restituam.

Amu-

1444 Amurathes pace in Europa impetrata reliquias exercitus sui recolligit, nouisq; auget, & Bassam Caramaniæ, vt tertiò rebellantem, funditus delere conatur: simulque & Ferisium Bassam iubet ire in Epirum contra Scander-begum qui subinde arces & vrbes Turcis adimebat.

Scander-begus hoc audiens, suos armat, & callidè inter montes & syluas distribuit, & 12. Augusti Ferisium Bassam cum 9000. Turcis cædit. Inde contra Venetos redit, & cum ijsdem nauali prælio certat, & victoriam reportat. Audiensq; Mustapham Bassam in Epiri finibus sæuire, relictis præsidijs contra Venetos, incredibili celeritate vsus Mustapham, ex improuiso obrutum, cædit. Mustapha recolligit suos, & secundò se Scander-bego opponit. Scander-begus 5000. Turcos cædit, & 300. captiuos abducit, & tertiò cum Mustapha congressus, omnes Mustaphæ copias delet, ipsumq; Mustapham in prælio interimit.

Expeditio Ladislai Poloni. *Crucigeri quid sint.* Ladislaus Polonus (*seu rex Poloniæ & Vngariæ*) interea Christianos exercitus recolligit, eosque lustrans 16000. armatos inuenit (*plurimi enim Crucigerorum, qui videlicet vestes & arma sua crucis signo notauerant, ad sua se receperant, vt quibus omnino displicebat consilium Iuliani Cardinalis, & factum Ladislai regis*) iubet igitur vt placidè festinent, & Turcis ne minimam iniuriam inferant, ad Hellespontum enim primò hostilem animum detegendum.

Turci his liberum iter, vt suis confœderatis, & amicis concedunt, & insuper hospitalitatem suam eis non obscurè probant.

Vbi ad Nicopolim venit Ladislaus eam vrbem oppugnatam intra paucos dies expugnat.

Vladus

Vladus Dracula VVallachiæ princeps Ladislao se sociaturus, & pro liberatione patriæ pugnaturus, vbi ad Ladislaum venit, & copias tam exiguas deprehendit mutato animo, primo suasit, vt redirent in Vngariam. Nam Amurathen pluribus copijs stipatum esse, quando in venatione proficiscitur, atq; ipsum Ladislaum. Deinde verò quia Iulianus Cæsarinus Cardinalis, pro sua eloquentia contrarium probat, ipse Dracula pedem retrahit, & in VVallachiam reditum parat, cum suis copijs. Ne tamen pro proditore habeatur, filium suum cum aliquot militibus eis socium addit: simulque duos equites, qui Vngaris viã per angustias montium ostendant. Cumq; iam valedicens equum conscenderet (*in VVallachiam rediturus*) ad Ladislaum, & filium suum dixisse perhibetur: Ite, & tu mi fili age viriliter, & à Ladislao disce militiã, & graue Martis opus: si redieritis hisce meis ego oculis videbo. Dracula

Ladislaus Rex Draculæ verbis monitus Sagam nobilem in pago Sullon consulit, quæ respondet: *Ladislae tu non redibis, Varnam enim metuo.* Iulianus vetulam ridet, & diabolicos lusus spernendos testatur. *A diabolo consilium vt Saul.*

Quare incœptum iter continuant, naues Turcorum in Paniso fl. inuentas diripiunt Rex & Cardinalis, nauesq; ipsas comburunt. Vngari exemplo superiorum abutuntur, & absq; respectu religionis templa, & monasteria spoliant, virgines vestales stuprant, & quibuscumq; possunt modis suam impiam mentem produnt. Hanc impietatem cùm acrius taxarent concionatores bellici, & proprer eandem eis mortem prædicerent, Iulianum mouerunt, vt publico edicto talia prohiberentur.

Hinc vlterius pergunt, & hinc inde arces suis præsidijs muniunt, vt liberam viam sibi faciant eundi, & redeundi,

undi. Præcipuæ vrbes, quæ deditionem fecerant, erant, *Sunium, Pezech, Macropolis, Calacrium, Galata & Varna.*

Malum omen. Ad Varnam Ladislaus dolore sinistræ tibiæ decumbere incipit; quapropter cursum suum sistũt. Interim & epistola Francisci Amiralij adfertur, quæ nuntiat Amurathẽ cum maximis copijs redire in Europam, corruptis quippe auro nautis. Nam Genuensis quidam nauta à singulis Turcis ducatum nauli loco accipiens, eos transuexerat.

Sed dum nuntius aduenit, pariter & Amurathes ipse Adrianopolim præterit, & audiens vbi Ladislaus iam ægrotans sit inueniendus, noctes diesque pergit, & septimo die Varnæ agros attingit.

Pugna ad Varnam 1444. 10. Nouembr. Iulianus & Huniades quàm prudentissimè suis castris consulunt, & aciem instruunt. Ipseque Ladislaus doloris obliuiscitur, & vnà videt quid rerum geratur. Etsi igitur Episcopus Agriensis dicit castra potius cruribus, quàm curribus munienda: Tamen Coruinus, quod bonum iudicat, facit. Ladislaus in medio, Huniades dextrum, Micaël Niger sinistrum cornu ducit.

Similiter Amurathes in medio, Bassa Asiæ dextrum, Bassa Europæ sinistrum cornu tenet.

Concurritur: Asiatici à Nigro profligantur, similiterque Europæi à Coruino.

Iam tempus erat, vt vel Franciscus Cardinalis amiralius classis Christianæ succurrisset, vel secundum consilium Huniadis prælium suspendissent, vsque ad aduẽtum Francisci, quem proximum dicebant.

At Ladislaus Polonus gloriæ cupidus, quadrata acie in hostem irruit, & magnam stragem edit. Amurathes ex acie elapsus in colle vicino hoc videns, eleuatis ad cœlum *Turci oratio.* oculis, & manibus dixit: *O Iesu, si tu es verus DEVS, vt isti fœdifragi*

fragi gloriantur, vindica nomen, & Euangelium tuum per quod iurarunt, & pacem decennalem Sanctè promiserunt. Dum loquitur, ecce facies alia prælij elucet. Nam Vngari vicinitate camelorum capti victoriam certissimam sibi somniantes, stationem suam deserunt spolia allaturi. Ladislaus solis septuaginta equitibus stipatus medios irrumpit in hostes, & viriliter agit. Turci partim cæduntur, partim terga vertunt. Vbi verò Chesér-begus vir ætate grauis vidit Vngarorum aciem turbatam, eosq; ex præsidiarijs curribus euocatos, suos reuocauit; Quid fugitis socij iam vicimus, in manibus nostris habemus ipsum regem Ladislaū, respicite modò, neq; ita turpiter, & insano modo fugite. Hæc dicens senior ipsum regem Ladislaū, Ianizarorum-Agam suo gladio transfodientem, aggreditur, satellites succurrunt, pedes equo Ladislai abscindūt, ipsumq; vulneribus pluribus conficiunt: Cheser-begus, & dextram & caput ei abscindit, abscissum pilo infixum Vngaris ostentat. Coruinus & Niger spolijs onusti sub vesperam victores redeunt, regis autem caput videntes planè exanimātur. Coruinus multum mouet, si regis sui corpus recuperet. Ast ne Hercules quidem contra duos; Iulianus Cæsarinus Cardinalis, quam plurimis vulneribus confectus occumbit: num sepultus fuerit, dubitatur. Huniades in fugā se conijcit cum vno, atq; altero satellite. Amurathes accedit, & caput Ladislai cum non absq; largis lacrymis aspexisset, iubet vt manus & caput Tatarorum Regi dono mittantur, in signum nouæ amicitiæ. Corpus reliquū ad Varnam regio sumtu sepelit, & columnam ad sepulcrū erigit, cui inscripta præclara facinora, & victoriæ tam iuuenis regis. Erat enim Ladislaus Polonus iuuenis annis, cōsilijs senex, corpore procerus, & animo magnus, patientissimus laborū, & inediæ: *Hinc Eteostichon*

Ladislai Poloni Mors.

ReX CæsVs GetICo bonVs InterIt ense LaDIsLâVs:
En qVantas noxas fœDera fraCta trahant !

Notum est & Tetrastichon:

Romulidæ Carras, ego Varnas clade notaui:
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices iußissent rumpere fœdus,
Non ferrent Scythicum Pannonis ora iugum.

In huius victoriæ memoriam Amurathes nouos aspros cudit, & in omnibus tẽplis DEO & Mahometi gratias agit.

Huniades fugit. Huniades fuga elapsus primùm mirificè è manibus latronum liberatus, postea in opilionis manus incidit, & viuus Draculæ oblatus est. Dracula eum carceri includit, & post aliquot menses suo comitatu eum reducit in Transyluaniam.

1445 Amurathes cum Hexamilo Isthmi destructo Peloponnesum suam fecisset, Macedoniamq; recuperasset, aduersus Vngariam redit, & omnia ad Sarnon fl. vsq; deuastat. Huniades ei obuiat, & quia viribus ipsi est impar, callidè ignes hinc inde accẽdit, quasi Vngari genio indulgerent, ac interim clam aciem instruit, & ex insidijs Turcos ignibus securos reditos, obruit, & in fugam conijcit.

Huniades prorex Vngariæ. Victor itaq; in Vngariam rediens in ferijs Pentecostes à proceribus regni, salutatur Prorex Vngariæ, & curator
1446 Ladislai posthumi, qui erat puer quinquennis.

Hinc iniuriam illatam vindicaturus, in Draculam arma mouet, victum, captumq; decollat, filium eiusdem iuniorem excæcat, maiorem natu successorem patri constituit, vt vasallum VVallachiæ, & in Vngariam redit.

Interea Vngari admodum solicitè à Friderico III. Imperatore, & Ladislaum posthumum regem suum, & coronam regni Vngarici reposcunt, sed frustra. Quamobrem Hunia-

Huniades hoſtiliter Auſtriam ingreditur,adeoq; Styriam & Carinthiam, & tandem ſpolijs onuſtus redit in Vngariam.

Amurathes recolligit copias in Vngariam mittendas. 1448
Huniades implorat auxilium Deſpotæ. Georgius Deſpota Seruiæ denegat, vt qui antea per decennalem pacem *Deſpota* ſuum regnum receperat, & iam à Turcis ſtabat: adeoque *proditor.* ipſi Amurathi omnes conatus Huniadis reuelat.

Huniades ad Scander-begum confugit, monetque vt Turcos à tergo adoriatur, dum ipſe eoſdem à fronte. Quia verò Scander-begus ſuum aduentum differt. Huniades nolens volẽs die Lucæ, qui dies Iouis erat, Turcis obijcitur, *18. Octob.* nox prælium dirimit: ſequenti die pugna continuatur ad occaſum vſque Solis: Tertio die denuo concurritur, Turci periclitantur, Amurathes denuo ad preces conuerſus eleuatis oculis, manibuſque in cœlum, ait: *Turcæ oratio.* Mi DEVS exiguum hunc gregem orthodoxorum tuorum hoc biduo penè deletorum, ne dato in manus hoſtium, propter mea multiplicia peccata, ſed ſerua & defende eos in laudem tuam, & dilectiſſimi tui Mahometi. Vngari audacius rem agentes, & victoriam ſibi ſomniantes, fatigati partim cæduntur, partim fugiunt. Huniades cum vnico ſatellite ſalutem quærit, quo à tergo traiecto ſolus per dumeta euaſit ex Turcorum manibus, ſed in manus latronum incidit, ex quibus tamen mirabiliter liberatus eſt: dum videlicet certarunt de torque aureo, quem de collo geſtabat Huniades. Hinc caſam ruſtici ingreſſus ab ipſius ſeruo proditus, & Deſpotæ Seruiæ ſpe premij traditus eſt. Deſpota eum in carcerem abduci iuſſit, paulo poſt tamen viciſſim dimiſit: in ferijſque natiuitatis Domini Huniades Segedinum redijt, & regno eſt reſtitutus.

Amura-

1449 Amurathes audiens Huniadem à Despota dimissum iratus in Despotam, vt parum fidum, arma conuertit. Despota confugit ad auxilium Huniadis, cum nesciat, neminem alium post Scander-Begum, qui Turcis resistere possit. Huniades potius Turcis resistere, quàm illatam iniuriam vindicare volens, Synderouiam festinat, Turcicas cohortes cædit, Seruiamq; liberat.

1450 Amurathes Scander-begum quotidie plura loca Turcica suo regno adijcere audiens, maximas copias ipsemet in Epirotas educit, Croiam arctissima obsidione cingit. Verum prælijs ab eo victus ægrotare cæpit, morbo nimirum ex mœrore animi contracto, ex castris Hadrianopolim in lectica deductus est, vbi & paulo post Apoplexia extinctus est anno Christi 1450. anno Mahometi 855. regni 31. 3. Octob. aiunt eum viuas manus instar rabiosi canis momordisse, & rosisse, antequam exspirauerit.

Mors Amurathis II.

Filii Amurathis II.:

- Aladinus, *qui in Amasia adolescens obijt A. C. 1442.*
- Mahometes II. *qui successit patri, iuuenis 21. annorum.*
- Tursines *qui adolescens octodecim annorum, iubente & spectante fratre Mahomete submersus est à Mose-Bassa. Mater iusto Zelo mota Mosen cultello transfodit, & cor eius ex pectore extractum canibus obijcit spectante eodem nouo Sultano Mahomete secundo.*
- Celebinus *qui puer sex mensium per Hali-Bassam iussu fratris suffocatus est. Quidam tamen aiunt supposititium puerum ab Halino Bassa suffocatum, & Tyranno oblatum esse. Verum autem Celebinum Byzantium, & Byzantio capto Venetias, & inde Romam missum, & à pontifice baptizatum. Denique in Austria apud Fridericum Imperatorem reliquum tempus vitæ transegisse.*
- Iagupes al. Iacuppus, *qui similiter à Bassis suffocatus, & Tyranno oblatus, vt ad parentis latus sepeliretur. Alij tamen volunt hunc & Celebinum vnum, eundemque esse.*

Synchro-

Synchroni Amurathis II.

- *Imperatores*
  - *Orientis*
    - Iohannes VIII. Palæol. 1421. 24.
    - Constantinus, xv. Palæol. 1444. 8.
  - *Occidentis*
    - Albertus II. Austriacus 1437. 2.
    - Fridericus III. Austriacus 1440. 53.
- *Pontifices*
  - 1. *Romæ*
    - Martinus III. dictus V. 1417. 13.
    - Eugenius IIII. 1431. 16. *remotus à concilio Basiliensi.*
    - Nicolaus V. 1447. 8. *insignis Musarum patronus.*
  - 2.
    - *Auenioni Clemens VIII.* 1424. 5. *abdicauit.*
    - *Lusannæ Felix IIII. dictus V.* 1439. 9. *abdicauit.*
- *Electores Brandeb.*
  - Fridericus I. 1417. 24.
  - Fridericus *II. Marchio cum ferreis dentibus cognominatus A. C.* 1441. 30.
- Iohannes Gutenbergius Argentinensis, artem impressoriam inuenit, *& inde Moguntiam profectus inuentam artem ibidem primò publicauit* 1440.

De quo Sabinus

Quæ dedit ars nobis impressos ære libellos
Facta sub hoc primum Cæsare nota fuit.
Hæc si temporibus priscis inuenta fuisset,
Qua nihil vtilius totus hic orbis habet.
Nostra libris hodie frueretur pluribus ætas,
Defraudata quibus secula nostra carent.
Hanc operosa nouam Moguntia protulit artem,
Quæ celebris Magi nomen ab amne tenet.

Eteostichon:

ParCant sCrIptores oCVLIs ManIbVsqVe: reperta ars:
EXIgVo possVnt ære parare LIbros.

Fridericus Marchio Misniæ, & Landgrauius Thuringiæ, Elector Saxoniæ constitutus est, 1423. à Friderico Cæsare. Cum his Fridericis cæpit AETAS BELLATRIX.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM

De Imperatoribus.

1450 I. MAHOMETES II. 32.

Byzanti domitor Mahometh prior induperator.

Natales.



*M*Ahometes eius nominis ſecundus, filius Amurathis II. iuuenis 21. annorum, ex Maria Seruiæ Deſpotæ Georgij filiâ, Chriſtiana matre (*Philippo teſte*) natus, & in Chriſtianiſmo educatus, ſed anno 25. ætatis ad Mahometiſmum coactus, vbi ad iuſtam ætatem peruenit, Epicureiſmum amplexus eſt, & nec DEVM nec Mahometum credidit. Vir fuit procerus, pallida facie, igneſcentibus oculis, naſo ita adunco, vt labra tangeret. Vt erat ἄθεος: ita maſculæ Veneri, auaritiæ, ambitioni & periurijs deditiſſimus: alioquin artium, artificum, & doctorum virorum promotor præſtantiſſimus, in benè meritos largiſſimus: hiſtoriarum cognitionis auidiſſimus, vnde factum, vt eius hiſtoria ſecundum annos poſſit haberi: Linguæ præter vernaculam etiam Græcæ, Perſicæ, & Arabicæ peritus: Aſtrologiæ præ alijs deditus, adeò vt omnes ſuas actiones ad motum ſiderum compoſuerit.

Fratres ſuos & ſuſpectos proceres tempeſtiuè ſuſtulit: Patrem ſuum apud Croiam mortuum, cùm Adrianopoli excepiſſet, Octauus Rex Turcicus eſt ſalutatus (*poſt triennium verò, primus Imperator eſt ſalutatus.*)

Res geſtæ.

Quamprimum patrem ſuum Pruſæ ſepeliuit, Ibrahimbegum Caramaniæ Baſſam primo congreſſu victum in ordinem redegit, & omnes inde neruos intendit contra Byzantium

zantium. Quamobrem (*vt imperatorio titulo inhians*) arcem præſidiariam contra Conſtantinopolim, nimirum ad littus Boſphori Orientale circa Chalcedonem ædificauit, ex qua liberiùs in Imperatores graſſaretur.

Scander-begum audiens vxorem ducere *Donicam* Har- 1451
tianitis, Cominatis Epirotarum nobiliſſimi filiam, & ſimul Croiam nouis munitionibus inſtruere, legationes ad eum mittit, & tributum ab eo poſcit: nihil autem impetrans, Ameſam ingenti exercitu ſtipatum eò mittit, vt vi eum coërceat. Aſt Scander-begus Ameſam cum prodromis ſuis montem deſcendentem cædit, & ſubſequentes in fugam conijcit.

Debreas (*al. Debrias*) Begus Ameſæ ſubſtitutus à Moſe Epirotarum ductore pari calliditate cæditur.

Sultanus igitur dolum dolo tentat pellere, & Moſen auro corruptum, in ſuas partes trahere. Sentiens autem ſe in ſaxis ſeminare, differt hoc bellum, & iam ſatis paratus *Conſtantinopolim* obſidet à longè, adducens 20000. pe- 1452
dites, & decem millia Ianizaros.

Eius autem conatus minuitur diuerſis bellis: ſiquidem Sebaliam Baſſam cum 40000. Turcis mittit contra Scander-begum auxilio Apuliæ regis Belgradum obſiden- *Belgrad.*
tem, qui viriliter Scander-begum ab vrbe repulit. Baſſam autem Theſſaliæ non minoribus copijs inſtructum contra Athenienſes libidinibus, parricidijs, & diſſidijs inuolutiſſimos, emittit, qui *Athenas* funditus deleuit, ita *Athenæ.*
vt hodiè vix caſæ piſcatoriæ illic loci in Attica inueniantur.

Sentiens ſe munitiſſimam vrbem non ſatis munitis co- 1453
pijs obſidere, arctiùs eam vt premat, 40000. Turcos addu- *Conſtantinopolis obſidetur.*
cit, & 5. Aprilis Byzantium terra obſidet, tribuſq; in locis

 oppu-

oppugnat. Quin & 250. nauibus eandem ſedem Imperatorum Orientis mari obſidet, ita vt Boſphorum tegerent, & quaſi pontem naualem ex Aſia in Europam facerent.

Hinc expugnationem vrget, & modo globis ardentibus per aërem: modo arietibus, & bombardis nuper acceptis per muros: modo rutris, & puluere nitrato per ſubterraneos aditus viam in vrbem quærit. 27. Aprilis generale ieiunium intimat, & 28. Aprilis vrbem militibus diripiendam propinat. Auari milites hoc audientes inaudita ſolertia, & indefeſſo labore muros, terra, mariq; oppugnant, adeoq; per vices, vt fatigatis ſuccederent, quiete refocillati. 28. Maij Iohannes Iuſtinianus Genuenſis, imperatoris capitaneus in turri muri grauiſſimè vulneratus, portam anguſtam aperit, & in Peram traijcit vulnus curaturus. Id Turci vident, prædictam portam vi intrāt, & per totam noctem reſiſtunt ciuibus, ne recludatur. Succurrunt ſubinde reliqui Turci, ſimiliterq; per vices, vt antea: ciues vero omnes ſimul & ſemel laborantes, & per vices Turcis reſiſtere non valētes 29. Maij poſt meridiem aliam portam aperiunt, & fuga ſalutem quærere conantur. Inuadunt Turci vrbem in ipſis ferijs Pentecoſtes 29. Maij, cædunt obuios quoſuis, *Conſtantinus XV. Palæologus* Imperator, vili habitu indutus, cum ciuibus ad portam oppoſitā properans, ſub ipſa porta conteritur: ex profugis ciuibus 8000. à tergo vulnerati cæduntur: nam ad miliaris Italici ſpatium fugientes inſequuntur. Hinc reuertuntur Turci, Conſtantinum inter octingentos mortuos inueniunt, caput abſcindunt, & pilo præfixum per caſtra Turcica oſtentant: templum Sophiæ ſpoliant, oſſa Sanctorum canibus obijciunt, in monaſterijs, & ædibus ciuium non ſolum auferunt gazas, & ſupellectilem, ſed & virgines, matronaſ-

tronasq; stupratas dissecant, exemplo sui Sultani, filias, & viduã Constantini, post Veneris vsum, Martis gladio, tradẽtis: ne dicam interim de iuuenibus, ad turpiora semotis. Cumq; ita per triduũ sæuijssent, vrbem suis militibus Sultanus muniuit, & arcem Imperatoris cum intrasset, à Ianizaris primò omnium salutatus est *Primus Imperator Turcicus.*

ALtera RoMa potens opIbVsqVe VIrIsqVe sVbaCta
CogItVr à torVIs VInCLa sVbIre getIs.

Munsterus, *& ex Mollero Lonicerus testantur auaritiam, & ambitionem fuisse caussam huius expugnationis. Ciues enim ditiores, cum pauperiores iam satis expilati, recusarunt vlterius contribuere ad alendos, & conducendos milites: Pauperiores verò ditiorum opibus inhiarunt, & ex rapto vixerũt. Hinc factum vt Imperator ære carens, non potuerit inuenire milites, aut duces, qui Turcis resisterent. Esto sanè. Ast cui gazas suas reseruarunt? Interim tamen nec hoc negandum, quod DEVS scelera & flagitia græcorum voluerit punire, vt Philippus, seu Peucerus monet.*

Deletis hoc modo Athenis, & Byzantio barbaris subiecto, Musæ exules in Italia, & Gallia hospitia quæsiuerunt, deducentibus eas multis præstantibus viris, quales fuerũt Georgius Trapezontius, Theodorus Gaza, Iohannes Argyropylus Byzantinus (*qui hac ipsa ex tempestate mirificè aufugiens seruatus est à Cosmo Medicæo exceptus: cuius filium Petrum, & nepotem Laurentium informauit, & Græca Florentiæ, & tandem etiam Romæ docuit, & A. C.* 1471. *obijt*) Iohannes Lascares (*qui legatus Laurentij Medicæi maximis gazis instructus à Turcico Sultano Baiazete II. reliquias autorum ex reliquiis Bibliothecarum Græciæ emtas collegit, & Florentiæ Medicæorum Bibliothecam instituit*) & plurimi alij.

Vrbe ita occupata, tota Thracia, & bona pars Mysiæ deditionẽ facit, Despota autẽ Seruiæ fugit in Vngariã: & Moses Scãderbegi capitaneus ad Turcos deficit, auro à Mahomete 1454

 corru-

corruptus. Verùm cum 15000. Turcos contra Epirum eduxisset, & succubuisset, sentiens se vt parum fidum, ad mortem quæri, vicissim ad Scander-begum rediјt, à quo & humaniter est receptus.

Papa Nicolaus V. eximius Musarum patronus, indulgentias amplissimas offert omnibus contra Turcum exituris, & Monachum disertissimum Iohannem Capistranum per Europam legatum ad hoc negotij commodissimum, emittit, qui suis concionibus (*quibus vim Turcicam, & periculum imminens pro sua eloquentia admodum exaggerauit*) plurimos mouit, præcipuè verò Hunniaden.

1455 Calixtus V. Pontifex, ne suo officio deesse videatur, etiam Iohannem Cardinalem, de S. Angelo, mittit ad principes Europæ, vt coniungant copias, & sedem Imperatoriam recuperent

1456 Interea Sultanus in Macedonia, & Dalmatia plurimas vrbes suas facit.

Mahometes Hemum, præter spem & opinionem Vngarorum, magno & periculoso labore superat, machinas maiores dissoluit, vt commodiùs per angustias duci possent & in Chrysonico vrbe easdem reparat, & 13. Iunij *Alba Græca.* Belgradum Vngariæ propugnaculum cum cẽtum & quinquaginta millibus obsidet, & vicina loca igne & ferro vastat.

Iohannes Huniades (*verè Achilles Scythicus, & murus Christiani orbis dictus*) delatorem suum Vlricum Comitem Ciliensem, adeoq; priuatum odium deserens, publici commodi gratia, Ladislaum Posthumum hortatur, vt contra Turcos militem educat. Ladislaus autem Rex adolescens Vlricum Ciliensem magis audit, & cum vix Budam venisset, venationem simulans, clam Viennam recurrit cum Vlrico.

Huniades autem & Capiſtranus meticuloſo rege (*qui Budam totos 30. dies Turcis patentem reliquit*) relicto, per Danubium ad Belgradi limites exercitum ducunt. Videntes autem vrbem terra mariq; ita obſeſſam, vt vix poſſibilis videretur liberatio, rem callidè aggrediuntur, aciem ad littus Danubij diſponunt, & claſſem ſuam in claſſem Turcorum mittunt. Capiſtranus crucem auream cum vexillo in prora vibrans, ſuis benedicit, & hoſtibus maledicit, hortaturq; ad animoſitatem. Pugnatur nauali certamine: claſſis Turcica ad obſidionem, non autem ad prælium ſubitum inſtructa diſſipatur, & obſeſſis reſpiratio conceditur, 6. Auguſti. Mahometes, qui Byzantium domuerat, potius Belgradum domiturus claſſis cladem negligens, terra muros vehementius quaſſat, ita vt muri parte deiecta Turci vrbem intrarent. Sed Huniades auxilio Germanorum eoſdem ex vrbe repellit, cum ipſis in campo prælium committit, Caraccias Baſſa cum 40000. Turcis cadit: Mahometes ipſe ſub ſiniſtro brachio vulneratus, à Baſſis abducitur, vt vulnus curetur: reliqui Sultanum mortuum putantes in fugam ſe conijciunt. Atque ita vrbs 47. die obſidionis liberatur. Mahometes vulnus videns rabioſi inſtar canis latrat, & violentas ſibi ipſi manus inferre conatur, aſt â medicis prohibetur.

Iohannes Huniades ſimiliter hoc ipſo prælio ita eneruatus, vt febri contracta, poſt paucos dies morti ſe vicinum cum ſenſiſſet, & filios Ladiſlaum fortem, & Mathiam pium adoleſcentes ad Iuſtitiam, & Pietatem excitaſſet, pedes ætate & bello fatigatos componens 10. Septembris placidè exſpirat. Cadauer in patriam defertur, & Albæ-Iuliæ ſepelitur in templo D. Stephani (*quin & Iohannes Capiſtranus 26. Octobris etiam obijt.*) Mahometem Hu- *Huniades moritur.*

niadis morte audita à lacrymis sibi temperare non potuisse referunt.

QVI VIVens SCythICIs fVerat trepIDatIo TVrCIs,
HVnnIaDen trIstIs VIVere ParCa Vetat.

Etsi Matthias proprie dictus fuerit Terror Turcorum tamen Etcostico aliquid conceditur.

1457 Ladislaus posthumus, Rex Vngariæ cum Vlrico Ciliensi *(à quo totus pendebat)* Belgradum visit, & non sine admiratione omnia contemplatur, & Hunniadis virtutē laudat. Vlricus autem, qui inuidia ipsa, Huniadis filios accusat, vt coronam affectantes, regisq; adolescentem animum facilè mutat. Ladislaus Huniades vbi hoc resciuit Vlricum aggreditur, & poscit vt vel probet, vel reuocet mendacia. Vlricus gladium in Ladislaum stringit: Ladislaus prouocatus similiter vibrat gladium, succurrunt satellites, & Vlricum multis vulneribus conficiunt, suumque herum liberant. Vlrici familiares accusant Ladislaum Hunniadem, *Ingratitudo.* & tertio die nondum sufficienti cognitione caussæ facta, ipsum stola Purpurea *(quam breui ante dono à Rege Ladislao posthumo acceperat)* indutum ad supplicium rapiunt. Carnifex ab animoso iuuene sibi metuens, vix quinto ictu caput ei deijcit. Mox & Matthias Huniades, ne fratris mortem vindicet, in carcerem ducitur. Rex Ladislaus Posthumus ingratitudinem in Hunniadas videns, & sibi à seditiosis ex carcere elapsis metuens, Viennam fugit, & Matthiam vinctum secum ducit, ne, vt frater, nimis tempestiuè ad supplicium raperetur.

Similem gratiam reportat, & Bassa Turcicus Ali-begus. Nam absq; respectu in cani capitis, & maximorum facinorum pro Turcico regno præstitorum, crudeliter flagris laceratus strangulatur, eò quod diceretur colludere

cum

cum Christianis,& clam ijs fauere. Reuera tamen Mahometes eius opibus, quas cumulauerat, inhiabat.

Interea Mahometes Baiazeten filium suum circumcidit Constantinopoli,& conuiuium proceribus suis per aliquot dies præbet, egregieq; genio indulget, & vulnus curat,& statim in Macedoniam & Peloponnesum exercitum mittit,Hexamilũ destruit, Corinthum occupat, cum plurimis vicinis oppidis.Quin&Ladislaus Posthumus rex Vngariæ vxorem sibi quærit Magdalenam *(alij Margaritam,) filiam Caroli VII. Regis Galliæ.* Ast dum maximè præparationes fiunt ad nuptias necessariæ & ferè omnes Christiani proceres dicuntur ad has nuptias conuenturi, & contra Turcos deliberaturi, Sponsus ipse Ladislaus posthumus adolescens 18. annorum 26. Nouembris, 36. hora morbi moritur, & Matthias Huniades ex carcere liberatus per Georgium Podebracium *(al. Pogiebradum)* rex Vngariæ in Ladislai locum constituitur: Ipse autem Podebracius Rex Boëmiæ à Matthia inauguratur.

Baiazetes circumciditur.

1458

Sponsus moritur.

Mahometes non contentus Byzantino, etiam Trapezuntium imperium affectans, omnia ad bellum necessaria quàm solicitè præparat, & Amasiæ Bassam præmittit, qui in Cappadocia vastabundus viam præparet.

1459

Vsun-Casanes *(quod interpretatur magnus Heros)* Cappadociæ,&Armeniæ Dominus*(qui nuper Maleonchre, seu Demiro, Persarum rege interemto Parthiam sibi acquisiuerat, & ingentes gazas inde abduxerat)* legatos magnis gazis doni loco instructos, ad Mahometem mittit, & petit vt à Cappadocia abstineat. Mahometes putans sibi leges præscribi, incredibili celeritate vsus, Vsun-Casani ad Euphratem occurrit, Persici milites & equi insolito more pugnandi & inaudito fragore bombardarum territi fugæ se tradunt: Mahometes

metes ſubſequitur & in fuga Zeinaldes regis filius etiam occumbit.

Interea Ameſa Scander-begi affinis, auro à Baſſis Turcicis corruptus, ad Turcos deficit, cum vxore (*ſorore Scander-begi*) & liberis Conſtantinopolim venit, & operam ſuam Mahometi contra Epirum offert. Mahometes eum 50000. Turcis inſtructum eò mittit, & vt eò conſtantiùs agat, neque exemplo Moiſis rurſus deficiat, præter opes, etiam nouus honor ei offertur, & in itinere Adrianopoli Rex Epirotarum à Viſiro-baſſa ſalutatur. Scanderbegus ſororio ſuo tempeſtiuè occurrit, eius prodromos omnes cædit, antequam exercitus coniungat vires. Ameſa victus fugit, aſt in Emathia capitur, & viuus Scanderbego oblatus, & inde in carcerem deductus eſt.

1460 Sultanus maius regnum captans, pro tempore inducias à Scander-bego, Apuliæ regi, gratitudinis ergo auxiliares copias ferre volenti, impetrat (*Ameſa autem ex carcere dimiſſus Conſtantinopolim ad vxorem & liberos rediens poſt non multos dies moritur*) & in Aſia Caſtamonem, & Synopem vrbes, adeoque totam Paphlagoniam ſubigit: inde

Trapezus expugnatur.

Trapezuntem regiam ſedem, terra marique arctiſſimè anguſtatam capit, potitus etiam theſauris regijs, & ipſo rege Dauide Comneno, filijs duobus, & Calo Iohanne patruele, quos Byzantium præmiſſos ad triumphum deinceps crudeliſſimè interemit, atque ita totam Comnenorum ſtirpem excidit, & imperatoriam arcem iam ingreſſus denuo *Imperator Turcicus* ſalutatur.

1461 Quare victoriæ curſum continuans, Pyrametto Ciliciæ principe (*al. Baſſa Caramaniæ*) interemto, reuertitur in Europam, & Draculam eius nominis ſecundum, VVallachiæ principem terra adoritur; verùm in tantas deuenit angu-

angustias, vndiq; circumcinctus, & conclusus, vt pereundum ipsi fuerit exercitui, nisi maturo consilio Mahometh-Bassa, Ali-bassæ successor (*Christianis parentibus natus*) ingentiq; cursu exitu patefacto perrupisset.

Interim Matthias Rex Vngariæ Bosnam ex Turcico iugo retrahit, & Stephanum constituit Principem Bosnæ. Stephanus autem Lazari Despotæ filiam vnicam, & regni hæredem vxorem ducens, etiam Seruiam suo regno adijcit.

Sinan-Bassa finitis inducijs cum Scander-bego prælium committit, sed victus induciarum continuationem petit.

Mahometes pro occupatis imperijs DEO gratus vt videatur, amplissimum templum, scholam, & hospitale ædificat Constantinopoli: His vt reditus annuos pariat, expeditionem in Lesbum, & Lemnum insulas suscipit, & feliciter dictas Insulas, Nicolao Catalusio Genuensi Lesbi principe crudeliter necato, subigit. Hinc in Peloponneso crudeliter grassatur. 1462 *Lesbus.*

Victor Capello amiralius, & Bartholus ab Este Dux Ferrariensis, ingenti classe instructi à Christophoro Moro, Venetorum duce, in Moream mittuntur. Victor classem per mare ducit. Bartholus autem exercitus terrâ ducit, & in itinere Argo vrbem, cum vicinis castellis occupat. Inde ad Isthmum Corinthiacum venit, & suas cum Victoris copijs, Ludoici Loredani classe auctis, coniungit. Hi tres capitanei, cõsilio inito, Hexamilum, spacio quindecim dierum, ministerio 30000. opificum ex veteris structuræ saxis (*ad celerandum opus*) reædificant Lemnum, Lesbumque recuperant, & Corinthum arctissimè obsident. 1463 *Argos.* *Corinthus.*

Mahometes furiosi instar sæuiens, omnem militem

ſuum colligit, Hexamilum nondum ſatis induratum, vtpote recenter reſtauratum, funditus diſſipat, & diſijcit ope Mahometis-Baſſæ, quem eò miſerat. Bartholus Dux Ferrarienſis ſaxo, de muro Corinthi proiecto percuſſus exſpirat, dum obſidionem vrbis vrget. Mahometes-Baſſa ſuo aduentu reliquos Venetos ab vrbe repellit: mox & Inſulas Lemnum, & Lesbum, cæſis 5000. Venetis, recuperat: & inde ponte, mirabili apparatu ſupra Euripum conſtructo, Eubœam inuadit. Veneti, inter ſe partim diſſidentes, partim confuſi, hoſtibus ſe opponere non audent. Imo & Pizzameni fratres ſuam operam, & conſilium ad deſtruendum pontem Turcorum offerentes, per Nicolaum Canalem amiralium à ſuo propoſito auocantur. Turci Chalcidem obſident, & vehementiſſimè oppugnant. Leonhartus Calbo nigrum vexillum erigit, oſtendens ſe ſubito auxilio, & liberatione indigere. Nicolaus Canalis, Victoris & Ludoici conſilia refutat. Leonhartus viriliter hoſtes ſuſtinet, & virgines, matronaſq; ad defenſionem murorum ducit. Quidam etiam Veneti, inſcio amiralio, in Turcos ita impetum faciunt, vt Mahometes deſperans de expugnatione, obſidionem ſoluere cogitaret. Aſt Beglerbegus Natoliæ diſſuadet, & potius omnia extrema tentanda, quàm vrbem deſerendam oſtendit. Quapropter militibus cum vrbem diripiendam propinaſſet, tertio die expugnatam occupauit, præſidijſque Turcicis in ea relictis ad hyberna ſe recepit.

Eubœa.

Veneti Nicolaum Canalem, vt proditorem accuſatum dignitate exuunt, non tamen ſine inſigni dolore amiſſarum Inſularum.

In Epiro Semetrius, & Ballabanus Baſſæ à Scanderbego cæduntur.

Ad

Ad Danubium verò Mahometes Bosniæ regnum dolo- 1464
sè sibi subiecit. Nam *(vt hæc altiùs repetantur)* Hernoia Dux
Spaletij, vultu & moribus taurinis. Cum aliquando ludi- *Bosna.*
brij caussa per mugitum à Paulo Chupore, præsule pro-
uinciæ esset salutatus, & Sigismundus rex istud in aula re-
citari audiens arrisisset, Hernoia contumeliæ impatiens
& vindictæ cupiditate ardens Turcicas copias sibi addit,
cædibus & incendijs in Vngaria grassatur: Paulum Chu-
porem captum, & tergo bouino insutum, in profluentem
Sauum abijcit, iubens vt iam cum bouina voce, bouinam
formam induat. Hac leui occasione Turci occasionem ac-
ceperunt inuadendi Bosnam. Nam Mahometes Isaacum
Bassam Bosnæ præsidem constituit. Hoc Isaaco à Nico-
lao Macedone victo, Stephano Losoncio prouincia de-
mandata est. Hunc Stephanum Lazari Despotæ generum,
simulata pace Mahometes, callidè ad se vocatum, & dolo-
sè circumuentum pelle detracta regno, & vita priuat.
Alij volunt eum etiam palo affixum, & sagittis traie-
ctum, eò quod auarus & ignauus, auro corruptus regnum
suum vendiderit Turcis.

Matthias Huniades rex Vngariæ Iayzam vrbem muni- *Bosna.*
tissimam, similiterq; 27. vicinas vrbes expugnatione, & de-
ditione occupatas, & crebris incursionibus regnum va-
stans, totam Bosnam recuperat, Ali-begum cum Turcicis
præsidijs repellit: adeoq; ipsum Mahometen Sultanum,
secundò redeuntem, & Iayzam recuperare volentem, ca-
stris & impedimentis omnibus exutum, repellit, & dum
viuit, Bosnam contra Turcos defendit.

Hinc igitur omnia arma in Epirum vertit Sulta- 1465
nus, præmittit duos latrones, auro corruptos, vt Scan-
der--begum è medio tollant, vel pugione, vel globo,

vel veneno. Mox & Ballabanum innumeris copijs instructum eò mittit, qui Croiam obſidione cingit, & nouam munitionem contra Chriſtianos ædificat.

Scander-begus, proprio nomine Georgius Caſtriotus, Iohannis filius, rex Epirotarum, & bellis & armis eneruatus, ad Venetos confugit. Hi triginta triremes mittunt, Duce Petro Mocenigo, non vt Scander-bego ſuccurrãt, ſed Eubœam recuperent. Petrus autem nihil efficiens, conſilio Scander-begi, & Chriſtianæ mulieris in aula Turcica degentis, hortatur ſuos Venetos, eorumque ducem, vt cum Turcis, tanquam quibus impoſſibile ſit reſiſtere, fœdus ineant: quod tandem etiam factum. Nam Venetorum Dux Chriſtophorus Morus, Legatos, Nicolaum Cocco, & Franciſcum Capello Conſtantinopolim mittit, qui de pace agunt. Verùm quia non omnibus idem videtur Nicolaus reuocatur: Franciſcus autem febri correptus Byzantij moritur. Tandem tamen ad Scodram conueniunt hac conditione vt Turcis 8000. florenos annuum tributum ſoluant.

Veneti tributum.

1466 Scander-begus literis pontificum accitus, vt patria eiectus, cum in Italia oſtẽdiſſet, Turcorum immanitati non niſi coniunctis Europæ viribus reſiſti poſſe, & iam Lyſſi ad Dryllum amnem eſſet, morbumq; præualere ſentiret, filium Iohannem ſucceſſorem conſtituit, & placidè ſpiritum emittit in Lyſſi vrbe, 27. Ianuarij, A. C. 1466. regni Epirotici 42. ætatis 63. ſepelitur ibidem in templo D. Nicolai. Quando verò poſtea Turci vrbem expugnarunt, eius oſſa refoſſa, auroque incluſa de collo ſuſpenderunt, tanquam ſingulare amuletum contra hoſtes. Hic vir Heroicus verè Alexander à Turcis vocatus, tanto robore, & animo fuit, vt pugnam contra Turcos ingredienti è labris,

Scander-begus moritur.

æſtuan-

æstuantis animi vehementia fissis, sanguis erumperet.

EXIgVa SCanDer-BegVs sepeLItVr In Vrna:
SeD VIVIt VIrtVs LaVs neCe Vera Caret.

Mahometes in Syria contra rebelles Bassas occupatus dum detinetur, Matthias Huniades VValachiam recuperare conatur: Verùm Stephanus princeps VVallachorum eum ex insidijs adortum, cædit. Ipse Huniades tribus vulneribus perceptis in castra reportatur, & lecticæ impositus in Vngariam defertur, vt vulnera curet. 1467

Victor Sultanus Turcicus in AEgypto, formosissimam puellam ex suo gynæceo mittit Cisimo Indorum regi vxorem, vt ita amicitiam cum ipso ineat. 1468

Nicolaus Canalis amiralius Venedicus cædit 2000. Turcos pacis violatores: & Rex Portugaliæ plurima loca in Africa Turcis adimit. 1469

Bassæ Turcici cruentam cùm victoriam reportassent, reliquas Eubœæ vrbes subigunt, & ita totam Insulam Eubœam suo Sultano subijciunt. 1470 *Eubœa occupatur.*

Veneti cum Matthia agunt, vt contra Turcos exeat. Matthias dolum sentit, & idcirco recusat. Hinc confugiunt ad Ferdinandum Arragoniæ Regem, à quo 17. triremes impetrant. Quapropter coniunctis nauibus Turcis obuiant, Turcicum iugum rursus excussuri: Sed ad Sattaliam Pamphiliæ vrbem cæduntur, amiralius Rhodi lapide ictus occũbit, reliqua classis profuga in Adriaticum redit.

Mahometes audiens Scander-begum mortuum, & Matthiam Huniadem intestinis turbis obrutum clam 20000. Turcos mittit, qui ad Saui ripam nouam munitionem extruunt, & Zabatz nuncupant. Quapropter Gabriel Archiepiscopus Colociensis, & Iohannes Vngorius mittuntur destruere dictam munitionem. Quia verò inanem *Zabatz.*

1471 operam ſumunt, mutato animo aliam arcem ex oppoſito exſtruunt, ex qua Turcicam deſtruant.

Veneti Turcici tributi pertæſi, legatos ad Vſun-caſanem ablegant, eiuſque opem contra Turcos pacis violatores implorant.

Vſa-begus in Europa per Illyrium ad Auſtriæ, & Italiæ vſque limites, omnia obuia igne & ferro conſumit, & 50000. Chriſtianos captiuos Conſtantinopolim ducit.

In Peloponneſo pars reliqua regionis Mahometi ſubijcitur ita, vt Venetis tantum tres vrbes manerent, videlicet Modon, Coron & Sonico, quæ ad exiguum tempus tutum hoſpitium præbuerunt Chriſtianis viatoribus.

1472 Vſun-caſanes in Natolia plurimas vrbes, præcipuè Trapezus. Sinopolim, & Trapezuntem capit, pariterq; literis Chriſtianos proceres ad concordiam, & expeditionem contra Turcos, iam vno regno viciſſim exutos, hortatur.

In Europa Iſa-begus per Sclauoniam, Iſtriam & Forum Iulij, ad S. Danielis oppidum vſque hoſtiliter graſſatur, Nicolaus Thronus amiralius auxilijs Parthorum hoſti obuiam proficiſcitur, parum verò efficit.

1473 Baſſa Turcicus in Europa cum 80000. Turcis per Boſnam, Syriam & Carinthiam hoſtili manu obuia quæque tollit, & innumeros Chriſtianos in captiuitatem Turcicam abducit. Scodra. Hinc & Scodram, ponte per Boianam fl. facto, obſidet. Nicolaus Marcellus Venetorum Dux, amiralium ſuum mittit, vt obſeſſos liberet. Mocenigo amiralius cum claſſem educeret, Corcyne incidit in Commiſſarios Venetorum Tridianum Gritti, & Ludoicum Benabum. Eorum igitur conſilio hoſtem à tergo obruere conatur. Dum verò rem cautè aggredi parant, Baſſa Turci-

Turcicus à ſuo Sultano in Aſiam reuocatur, & obſeſſi liberantur.

In Aſia enim res Turcicæ periclitantur: Mahometes bis congreditur cum Vſun-caſane, 30000. Turci cæduntur, inter quos 150. proceres Turcici. Quare victus fugit ad montes, & de verticibus eorum hoſtes à longè laceſſit ſuis bombardis. Mahometes Vſun-caſanem ad Euphratem vincit, ſex millia, & octingentos capit, ex quibus domum rediens, in ſingulis locis, vbi ſtatiua habuit, quingentos per diem gladio ſecat, inſepultoſque diſpergit, totamq; Armeniam horrendo funerum ſpectaculo complet, & Trapezuntum cum amiſſis locis recuperat. 1474 *Trapezus.*

In Europa Turci crudeliſſimè ſæuiunt, præcipuè quod Sauus ita exſiccatus, vt pedibus pertranſire poſſent: quin & Lepanto per quatuor menſes 30000. Turcis obſidet: Antonius Loredanus amiralius Venetus obſeſſos liberat: Turci repulſi Iuſulam Lemnum repetunt.

Hoc ipſo tempore & Tatari in Polonia hoſtiliter obuia quæque ſuſtulerunt.

Matthias Huniades ſeptennali bello inteſtino finito, 1475
tandem nuptias adornat, ducturus Beatricem Ferdinandi regis Neapolitani notham, virginem expeditiſſimè latinè loquentem.

Stephanus VVallachiæ princeps, ab omnibus vicinis *VVallachia.*
relictus, ſuos ſubditos armat, 17. Ianuarij Turcos ex inſidijs adortos, cædit, plurimos in Iſtrum præcipites agit, plurimos captos palis infigit: Begos autem, & Baſſas captos vicinis regibus dono mittit.

Reliquiæ Turcici exercitus in Tauricam Cherſoneſum iter flectunt, Capham vrbem Venetorum obſident, *Capha.*
& ope Præcopitarum Tatarorum, expugnant 16. Iunij.

Hac

Hac expugnatione Gothi in istis locis funditus deleti sunt.

Huniades interea Sabaciam mense Octobri obsidet,& tricesimo obsidionis die cruentam cum obtinuisset victoriam, etiam vrbem expugnat. Dum autem expugnatio vrgetur, ipse Huniades tam profundo, imò miraculoso somno sopitus iacet, vt fragorem non audierit, cum aliàs vel ad leuissimi folij motum euigilaret.

1476 Dum Matthias Huniades nuptialia tractat, Mahometes Stephanum VVallachiæ principem à duabus partibus aggreditur. Ab vna quidem parte Tatari, Tanai traiecto, eum obruere parant. Stephanus à Polonis auxilia non impetrans,& se suaq; DEO committens, medios in hostes se proijcit, potius mori, quàm deditionem facere paratus. Verùm præter spem victoriam obtinet, & Tataros ad Borysthenem vsq; profligat. Ab altera parte Mahometes, Isthro traiecto, eum obruere parat. Stephanus se imparem hosti sentiens, suam ipsius regionem incendijs vastat, ne Turcico Tyranno quicquam relinquat: adeoque ex insidijs Turcos subinde adoritur, & intra paucos menses 30000. Turcorum cædit, & in montibns latibula quærit. Turci autem peste oborta repelluntur ex VVallachia.

Hinc Mahometes mittit latrones aliquot, qui castellum à Matthia nuper exstructum destruant: & Ali-begus ad Temesium vsq; populabundus grassatur. Hinc igitur Lupus *(al. VVolffgangus Bulcovvitz)* Despota Seruiæ ad Pozazin occurrit. Ali-begus cæsum suum exercitum videns Lembo aufugit. Scander-begus frater Ali-begi captus decollatur. Matthias iubet pergere, & Synderouiam obsidere: at dum feruet opus, Matthias reuocatur ad excipiendam Sponsam, quam Turci in Dalmatia intercipere cona-

conabantur, ſed fruſtra, & Beatrix virgo erudita, & latinæ linguæ cognitione præſtans, Budæ copulatur Matthiæ Hunniadi Vngariæ regi 13. Decembris. *Coruinus vxorem ducit.*

Mahometes in media hyeme Raſciam clam inuadit, 1477 cum 40000. Turcis, vt ita Deſpotam à Synderouia reuocet. Ali-begus Baſſa Mahometis littus maris, vt ducem ſequitur, & per Dalmatiam, Iſtriam, & Forum Iulij ad Venetorum vſq; vrbem vaſtabundus penetrat, vallum à Venetis nuper exſtructum, vt Turcos reprimat, diruit, Driuaſto expugnat, ad Taliauentum fl. Venetos obuios cædit, & ſpolijs onuſtus ad Croiam redit, quæ vrbs annua obſidione fatigata, deditionem facit. Hinc & Scodram obſidet Mahometes, & Amar-begum Baſſam ad obſidionem vrgendam relinquit, & ad ſuos in Thraciam redit.

Amar-begus cum Antonio de Legge, qui cum 900. 1478 Soldatis in vrbe erat, incipit tranſigere de pace, & tãdem ita conueniunt, vt Scodra, & Lemnus Turcis concedatur, & Veneti tributum annuum 9000. ducatos penderent.

Baſſæus Baſſa Leucadium, Neritum, Zephaloniam, 1479 & Zacinthum Inſulas Aegæi maris occupat, & victor Conſtantinopolim redit.

Sub hoc ipſum tempus Ali-begus Baſſa Turcicus Tranſyluaniam inuadit cum 100000. Turcis. Stephanus Batoræus VVeiuoda Tranſyluaniæ ad Matthiam confugit, & periculum ei exponens auxilium petit. Matthias quia dolore pedum laborat, mittit Stephanum Cherepetrum & Paulum Kiniſium, Temeſienſem comitem. Hi conſilijs Matthiæ inſtructi Ali-bego ad Moroſſum fl. non procul ab Alba-Iulia occurrunt (*cum ſe DEO commendaſſent, & in audita ratione Sacramentum cœnæ Domini ſumſiſſent*) pugnatur prudenter, & feruido Marte. Stephanus Batoræus *Trãſyluania.*

 graui-

grauiter vulneratur, 8000. Vngari, & 30000. Turci occumbunt, & tamen Christiani victoriã, etsi cruentam, obtinẽt.

1480 Mahometes tres expeditiones simul, & semel suscipit. Nam I. Mesithen (*al Mesichum*) Bassam mittit, vt Rhodum insulam Venetis præripiat. Verùm Petrus Dabasonius amiralius Venetus eum, cum per totam æstatem insulam concussisset, repellit: imò & ipse Mesithes (*ex Palæologorum stirpe*) occumbit.

Hydruntum. II. Acomathen Bassam cum ingenti classe in Apuliam mittit. Qui Hydruntum Archiepiscopalem vrbem Apuliæ in Italia vi, & armis expugnat, viris partim cæsis, partim vi captis, fœminis virginibusq; stupratis, Sacerdotibus ad aras trucidatis, Archiepiscopo Hydruntino sene annoso (*venerabilem crucem gerente*) rapto, & lignea serra dissecto, prægnantibus dilaceratis, vrbem ipsam Turcicis præsidijs munit, & ad suum Sultanum victor redit. Huius vrbis expugnatione Papa ita exanimatus, vt clam fugam ex vrbe adornare præsumserit, imò tota Italia nihil nisi Turcos noctes & dies somniabat.

Mahometus fulmine deijcitur. Hoc ipso anno & Mahometi Prophetæ Turcici bustum cum per 848. annos beneficio Magnetis, sub fornice templi Mechæ sustentatum pependisset, fulmine cœlitus misso deiectum scribitur.

Mors Mahometis secundi. III. Ipse Mahometes in AEgyptum expeditionem suscipit. At cum iam vix in Natoliam traiecisset, & ad Nicomediam in Bythinia subsisteret, colica passione correptus, cum per triduum maximos cruciatus, impatienti, & desperabundo animo pertulisset (*& iam duo imperia, duodecim regna, & ducentas vrbes suo sceptro subiecisset, adeoq; septem nepotes suos vidisset*) tandem 3. Maij, ætatis suæ 53. regni 32. Anno Christi 1481. Mahometico 885. animam exhalat.

Liberi

Liberi Mahometis II.

- Mustapha *qui initiò egregiam operam contra Vsun casanem patri præstitit; ast victoria elatus genio indulsit, & in venatione ad Iconium equo præcipitatus perijt, ante patris mortem.*
- Baiazetes *qui pater fuit liberorum, quando Mahometes pater exspiravit, & in regno successit.*
- Gemes al. Zemi, al. Zizimus *qui à Mahomete Bassa patris in locum imperator salutatus, sed à Ianizaris repulsus.*

Synchroni Mahometis secundi

- *Imperatores.*
  - Orientis, Constantinus XV. Palæologus, *Vltimus Imperator Christianus in Oriente* 1445. 8.
  - Occidentis, Fridericus III. 1440. 53.
- *Pontifices Roma.*
  - Calixtus V. 1455. 3.
  - Pius II. *al. AEneas Sylvius* 1458. 6.
  - Paulus II. 1464 7.
  - Sixtus IIII. 1472. 13.
- *Electores Brandeb.*
  - Fridericus II. *Marchio cum ferreis dentibus dictus* 1441. 30.
  - Albertus II. *frater Friderici II. Achilles Germanicus dictus* 1414. 15.
- Bessarion Cardinalis incomparabilis, & patriarcha Constantinopolitanus 1473. *obijt.*

  Græcia me genuit: fovet Italis ora: galero
  Roma colit: vita sum Numa, & arte Plato.

- Iohannes Hane *(al. Gallus)* Germanus, artem Typographicam Romam intulit, de quo Aprutinus:

  Imprimit ille die, quantum vix scribitur anno:

  O Germania muneris repertrix,
  Et Beroaldus: Quo nihil vtilius dedit vetustas,
  Libros scribere quæ doces premendo.

Iam verè ætas fuit bellatrix. Floruerunt enim Iohannes Huniades VVeiuoda Transsyluaniæ——Georgius Castriotus al. Scander-begus rex Epiri——Fridericus bellicosus Elector Saxoniæ—— Fridericus victoriosus Palatinus Rheni ——Fridericus Imperator——Fridericus Marchio cum ferreis dentibus, Elector Brandeburgicus,——Matthias Huniades Coruinus dictus terror Turcorum—— Albertus animosus dictus dextra manus Imperij (á militibus Rolandus) Dux Saxonicus,——Albertus Achilles Germanicus, Elector Brandeburgicus Caithbegus Sultanus AEgypti.——Quibus successerunt suo tempore Fridericus Sapiens, Iohannes Constans, Iohan-Fridericus animosus, Mauritius bellicosus, Electores Saxonici, & plurimi alij. *Bellatrix ætas.*

2. BAIAZETES. II. 31.

Alter eum ſequitur Baizetes viribus æquis.

1481 *Baiazetes* eius nominis ſecundus, filius Mahometis II. vir prudens, beneuolus, pacificus, magis philoſophiæ, & Sophiſticis Auerrois, quàm bellis, & armis deditus, dum in Cappadocia in Muſarum caſtris occupatus detinetur, & coronam paternam parum curat, Gemes in Caramania, à Mahomete Baſſa clam mittitur occupare thronum paternum Conſtantinopoli. Ianizari hoc animaduertentes Mahometh-Baſſam obrutum cædunt, & quia tumultus magnus oritur, Chriſtolus Baſſa & Aga id eſt, princeps Ianizarorum per legatos Baiazeten ex Cappadocia aduocant, & vt ſedent turbas ortas Iſaac-Baſſa, & Dauid-Baſſa, Corcuthen filium Baiazetis tredecennem ſubſtituunt auo Mahometi II. donec Baiazetes adueniat.

Ingenium.

Æmuli. Corcuthes patri aduenienti coronam recuſat dare, & ſe Imperatorem agnoſcendum contendit. Pater pacificus filio (*ne turbæ augeantur*) promittit coronam, quamprimum modo ad iuſtam ætatem peruenerit. Ea conditione patri coronam Imperij tradit, & in Magneſiam proficiſcitur.

Gemes copijs multis Pruſæ collectis, vi regnum quærit, & armis Natoliam ſibi ſubijcere conatur, Baiazetes igitur Acomathen Baſſam, ab expeditione in Italiam reuocat contra Gemem: idq; maximo cum commodo Italiæ.

Hydruntū. Alphonſus enim Rex Calabriæ auxilio vicinorum Regum & principum, Hydruntum recuperat, Turcis partim cæſis, partim captis, atque ita Turcos ex Italia repellit. Quantum inde gaudium, quanta Epinicia inter Italos, nemo facilè eloquetur.

Acomathes-Baſſa Gemi ad Nicæam occurrit, eius copias

pias funditus delet, ipsumq; Gemem, vsq; ad Tauri radices prosequitur. Gemes in Syriam, & AEgyptum fugit, 1482
& auxilia attrahit contra fratrem. Acamathes-bassa exterorum potentiam nondum satis cognitam metuit: Legatos & Epistolam ad Gemem mittit, & pacem ei dolosè offert. Gemes hoc dolo se deceptum, atq; interea dum de pace agitur, vndique hostibus septum se sentiens, per literas telo alligatas, & in castra fratris emissas, Acomathi & fratri respondet: Væ tibi, qui me natu maiorem regno eeijcis, caueas tibi: Nam & tu regno eijcieris. Quamprimum igitur telum, cui hanc epistolam alligauerat in fratrem hostem emisit, in fugam se coniecit: AEgyptij cæduntur, & Acomathes victor triumphat.

Gemes verò à Rhodi Magistro splendidè excipitur, & per aliquot dies cum ipso familiarissimè conuersatur. Quia verò Magister metuit Turcorum classem, propter Gemem, callidè eum Romam mittit, vt Pontifici, & proceribus Germaniæ suam caussam coram exponat, simulque saluum conductum & dat, & à Pontifice tutum hospitium ipsi impetrat. *Gemes Romam.*

Baiazetes per legatos suos Innocentio VIII, Pontifici promittit sepulcrum Domini, & Ierosolymorum restitutionem (*quæ tamen nondum habebat sub sua potestate*) si restituat Gemem. Verùm Papa Gemi tutum hospitium promiserat, ideoque iam cautior redditus calamitate Iuliani, fidem etiam hosti datam seruat.

Sultanus Turcicus igitur lætus, ad splendidum conuiuium omnes suos proceres inuitat, per aliquot dies genio indulget, singulis Bassis, & Begis vestem preciosissimam donat: soli Acamathi-Bassæ verò laqueum pro veste donat. Quia enim Acomathen (*cuius beneficio & virtute re-* *Acomathes*

 gnum

gnum tutum poßidebat) ſuſpectum habet, quaſi clam ſentiat, cum Geme, pugione eum petit: aſt cum ebrius aberraſſet, iubet vt ſtranguletur. Id factum eſt magno cum emolumẽto Chriſtianorum, quibus Acomathes erat infenſiſſimus.

1483 Caſan-begus filius Pyrameti Baſſæ Ciliciæ, in aula Turcica moritur, & ſplendidè ſepelitur. Hac ratione Cilicia, ſeu Caramania *(hactenus hæreditaria Baßis Caramaniæ)* integrè Sultani poteſtati ſubiecta eſt.

Hoc anno D. Martinus Letherus Antichriſticida Iſlebij naſcitur, patre Iohanne Luthero metallario, & matre Margareta Luderiana, 11. Nouembris in comitatu Manſfeldenſi.

NatVs es IsLebII DIVIne propheta LVthere:
RеLLIgIo fVLget te DVCe, Papa IaCet.
Sancte pater quoties tua conſpicor ora Luthere,
Lætitiam toties, triſticiamque fero.
Lætitiam quod te Lux viuo Dia refulget:
Triſticiam quod te Lux moriente perit.

1484 Baſſæ Turcici, quietis & pacis impatientes, licentiam ex Baiazete eliciunt, & in VVallachiam impetum faciunt. Stephanus Princeps Turcos, terra marique accedentes videns, ad Caſimirum Poloniæ regem confugit, & auxilium implorat. Poloni audientes totam Beſſarabiam, VVallachiæ prouinciam fertiliſſimam in poteſtatem Turcorum, expugnatis Lithoſtomo *(al. Kilial)* & Moncaſtro *(hod. Alba Neſtri)* caſtris, deueniſſe, dubitant quid faciendum: Stephanus ſe ſuumq; principatum videlicet VVallachiam in fidem coronæ Poloniæ tradit, vt eliciat auxilia. Verùm Poloni hac ratione VVallachiam ſuo regno adijcientes, exeunt quidem, ſed non tam Turcos repellunt, quàm ſibi de ſpolijs proſpiciunt. Similiter & Turci ſpolijs onuſti ad hyberna ſe recipiunt.

VVallachia.

VValla-

VVallachia iterum spoliatoribus Turcis obruitur, vt deditionem faceret Sultano Turcico, dum ipse Baiazetes Adrianopolim, incendio penè totam exustam, reædificat. 1485

Baiazetes hospitale splendidum ædificat ad Hebrum & Ali-begus Bassa per VVallachiam in Moldauiam irruit & spolia amplissima adfert. 1486

Scander-begus operam suam Hali-bego coniungens maxima spolia denuo ex Moldauia adfert. 1487

Exinde bellum in Asiam infelici auspicio transfert, poenas sumturus de Cairbego *(quod interpretatur Cairi Dominus & aliàs legitur Cair-begus, vel Caithbeius)* Circassio, AEgyptici Sultani primario principe Halepi, qui Gemem hospitio exceptum sumtu, comeatu & milite iuuerat. Etsi Baiazetes dissuadet, metuens prophetiam Gemis: tamen Bassæ omnes coniunctis viribus expeditionem in AEgyptum suscipiunt. AEgyptius exercitus obuiam procedit Bassis, ratus melius præuenire, quàm præueniri. Concurritur ad Tharsum Ciliciæ *(vbi antea AEgypti Gemem restituere volentes ab Acomathe Bassa cæsi)* vindicta de Turcis sumitur. Tantam quidem cladem accipiunt ab AEgyptijs, vt vix vllam maiorem percepisse putentur. 1488

Mahometh-begus Bassa Turcicus nouas copias corradit, & absque respectu imminentis hyemis contra AEgyptios proficiscitur, sed similiter cadit.

Sequēti anno Dauid-begus *(al. Daüdbegus Nam Turci Dauidem vocāt Daüd bisyllaba voce)* certā sibi victoriam à fatigatis AEgyptijs promittens, in primo congressu occumbit. 1489

Interea legatus Vngaricus ex aula Turcica humanissimè dimissus, in itinere à Gasi-Mustapha, propter antiquum odium priuatæ vindictæ cupido, occiditur. Quare Vngari id Sultano imputantes nouam turbam mouent.

Quia

Quia verò Sultanus hoc subolfaciens se purgat per legatos, & pacis continuationem petit, Matthias rex facilè hoc admittit, vt qui intestino bello iam implicatus *Viennam* Austriæ deditione acceperat, & iam vlterius victor pergebat.

In Croatia verò Lupus, seu VVolff Bulcovvitz Despota Seruiæ 7000. Turcicos Latrones spolijs maximis, & 10000. Christianis captiuis in Croatia, Carinthia & Carniola collectis onustos obruit, plurimos eorum cædit, spolia recuperat, & captiuos Christianos liberat.

Ali-begus (*al. Halibeius*) nouis copijs contractis contra Cair-begum proficiscitur tempore autumnali, & brumali, Adenam, Tharsum, & vicina loca vi occupat, antequam AEgyptij redeant.

1490 Ineunte vere Cair-begus reuocatis copijs Ali-bego occurit, ipsum cædit, & amissas vrbes omnes recuperat.

Coruinus moritur. Hoc anno in Europa Matthias Huniades podagra, & apoplexia superueniente exstinguitur Viennæ Austriæ die palmarum, qui 5. Aprilis, ætatis 74. regni Vngarici 32. Eius symbolum fuit coruus annulum rostro tenens. Nam cum aliquando annulum, Smaragdum pretiosissimum continentem, detraxisset, & coruus eundem abstulisset in venatione, Matthias coruum sequitur, & telo traijcit, atq; ita annulum recuperat. Hinc numi aurei, qui coruini dicuntur, nomen habent. Vnde volunt & coruinum cognominatum: cum tamen Bonfinius, Borecius & alij eius patrem Iohannem etiam cognominent Coruinum ab Holles id est, Coruino patria.

Interea Maximilianus Albam-regalem (*vbi 19. Octobris Iohannes Dux Saxoniæ primus muros conscendit*) Vesprinum, Viennam & reliquas vrbes recuperat.

Bassæ

Bassæ Turcici Adenam & Tharsum rursus occupant. 1491
Audiens verò Baiazetes nouas copias in AEgypto conscribi, & Larende vrbem ab AEgyptijs occupatam, & nouum generum suum Iacuppum, seu Iagupen Vsuncasanis filium, in eius expugnatione occubuisse, legatos ad Cairbegum mittit, & pacem petit.

19. Iulij Ladislaus rex Vngariæ recuperat Albam-regalem, quam Maximilianus præcedenti anno præoccupauerat.

Pax inter Turcos, & AEgyptios confirmatur, & Adena & Tharsus restituuntur Cair-bego. 1492

Similiter & Ladislaus Vngarus (*quem differentiæ causa sic voco, qui aliàs Casimiri Magni, regis Poloniæ filius*) qui ducta Beatrice vidua Coruini ad regnum Vngaricum in locum Matthiæ euectus erat, pacem à Baiazete impetrat.

Iacuppus seu Iaguppes Aga, (*quod interpretatur Iacobus capitaneus nimirum IaniZarorum*) cognomine Cadun-bassa (*quod sonat Eunuchus regis, & princeps*) cum suis Ianizaris, & aliquot copijs Turcicis, expugnato Dyrrachio Christianis in Croatia obuiat. Maximilianus enim Ericum cognomine seniorem, Ducem Brunsuicensem, tunc temporis principem 24. annorum, cum exercitu contra Turcos in Croatia, & vicinis regnis, latrocinijs omnia vastantes emiserat: Concurritur, & pugnatur acriter ad Sauum fl. Iacuppus victus in Thraciam fugit. Ericus victoriam reportat. 1493 *Ericus Brunsuicensis.*

Franco-pani (*corruptè frange panis vocatus pro Franc-pani, id est, Francicus Dominus, eò quod ex Francia oriundus*) rebellis contra Ladislaum Vngariæ regem Iayzam vrbem occupat. Drencenus à Ladislao Vngaro missus, vrbẽ obsidet. Franco-pani implorat auxilium Turcicum. Iacuppus Aga adducit 1494

NB. NB. ducit ingentes copias: Emericus Drancenus cum Vngaris ei obuiam properat, sed Vngari cadunt: Emericus viuus captus in castra Iacuppi ducitur, cumque filij & fratris sui capita abscissa vidisset, catenis vinctus Adrianopolim mittitur cum ingenti copia abscissarum narium, in signum victoriæ Baiazeti offerendarum.

Gemes moritur *Gemes* al. Zizimus cum Romæ hactenus apud Pontificem fuisset saluo conducto instructus Neapolim ad Regem Galliæ Carolum VIII. mittitur, & in reditu, dum in itinere est Tarracinæ repentino morbo obrutus moritur. Aiunt ipsi venenum propinatum, instinctu, Alexandri VI. Pontificis, ne per Carolum Galliæ regem Baiazeti restituatur, & Gallia Turcis arctiùs deuinciretur.

1497 Veneti qui pacem ad 25. annos cum Turcis inierant, & tributum soluebant, audientes nouam classem à Turcis in AEgæo mari instrui, Legatos suos, quorum præcipuus Andreas Zancanus, Constantinopolim mittunt, scire cupientes ad quid classis illa ad sinum Corinthiacum conueniat. Baiazetis Bassæ respondent, eam classem nihil ad Venetos, pacem enim initam sanctè seruandam.

Philippus Melanchton nascitur Hoc anno D. Philippus Melanchton (al Schwartzerdt) nascitur 16. Februarij, hora 7. pomeridiana Brettæ Palatinorum (*Bretta est oppidum inter Rhenum, & Neccarum fl. ad limites VVirtenbergicos 6. miliar. ab Heidelberg, ad scaturiginem Salzæ riui, (qui ferè sub Spira vrbe in Rhenum se exonerat) non procul ab Haidelsheim, & Maulbron*) patre Georgio Schwartzerdt supremo armorum magistro, & matre Barbara Reuterinn. Corpore fuit paruus, pectore magnus, verè πλυίςωρ, omnem doctrinam quasi vagam, & dissipatam collegit, & ad rectam rationem reuocauit, de quo D. Cœlichius:

Multa

Multa modis multis alij dant probra Philippo:
Et tamen à Christi parte Philippus erat.
Dixeris hunc Sanctæ clarum Pietatis olympum,
Doctrinæq́ iubar nobile: verus eris.
Si quod in has dotes crimen malè prouidus error
Intulit, humanis casibus illa dabis.
Sæpè ruina venit, quam nemo venire putarat:
Sæpè nigrescit humus, quæ prius alba fuit.

Ludoicus Sfortia dux Mediolanensis, videns Papam Venetos, & Galliæ regem coniurasse, & Mediolanensem ducatum vi quærere, ad implorandum auxilium Turcicum adigitur, præcipuè quia Germania intestinis motibus implicata, & clam fauebat Venetis. Quapropter legatos ad Baiazetem mittit, qui classem præparatam emittit, vtpote cupiens pacem cum Venetis rumpere, & Peloponnesum sibi integram subijcere, pariterque & Scander-bassam *(id est Alexandrum Principem)* qui terra Venetos adoritur, & per Forum-Iulij ad Teruisium vsque penetrat 4000. captiuos capitali afficit supplicio ad Tiliauentum fl. & Venetos non parum terret. 1498 *Auxilium Turcicum imploratur* 1498

Classis Turcica in Peloponneso Methonem vrbem longa obsidione domitam occupat: Corona sponte deditionem facit, territa exemplo Methonensium *(al. Modon, & Coron vocantur hæ vrbes.)* 1499

Quia igitur Turca non tam auxilium adfert Sfortiæ, quam sibi regnum ampliare studet Peloponneso prorsus domita: Ludoicus Sfortia, cum Friderico Rege Arragoniæ coniunctis viribus cum Gallo & pontifice præliatur: victus autem in Germaniam fugit.

In his turbis Gemes veneno sublatus dicitur, à quibusdam, ne videlicet nouas turbas excitaret.

Veneti verò non pacem, ſed apertum bellum à Turcis inferri ſentientes, conſentiente Pontifice claſſem inſtruunt, quæ Methonem recuperet. Huius claſſis Dux erat Antonius Grimanus.

Papa Alexander VI. & Auguſtinus Barbarigo Dux Venetus, noua tributa Turcica à ſuis poſcunt, nouas preces, ſeu horas precum contra Turcos ordinant, nouam claſſem inſtruunt, quam Nicolao Peſar, & Ludoico Marcello committunt, videlicet 60. triremes, 20. onerarias naues, 50. celoces, & innumera viliora nauigia. Turca contra 100. triremes, 100. celoces, 20. naues onerarias emittit, quibus Peloponneſus vel tota tegitur: & inſuper 100000. equites & pedites terra iter ſuum conficientes.

1500 Papa verò non tam Venetum bellum, quam ſuum & ſui filij Valentini Borgiæ promotionem curans, Iubilæum proclamat, & præter tributum Turcicum, etiam 300000. ducatos à peregrinatoribus deuotis, Iubilæum colentibus colligit, & filium ſuum Valentinum hoc auro, & inſuper ingenti milite inſtructum mittit ducem exercitus contra Ludoicum Sfortiam.

Borgias Borgias autem *(vulgo Cæſar Borgias, eò quod ipſius ſymbolum, & intentum patris fuit*, aut Cæſar, aut nullus) nec Turcam, nec Papam, nec Sfortiam curans aut metuens genio indulget, & tributum à Chriſtianis contra Turcos collectum dilapidat, vno die 100000. ducatos, luſu eum perdidiſſe perhibent, addito dicterio: *Malè quæſît malè perdît.* Neque ſanè mirum ſi filius patrizauit, & ſcortis luſoribuſque fauit. Nam de Alexandro VI. Papa eius patre, noti ſunt verſus.

Vendit Alexander Sacramenta, altaria, Chriſtum
Emerat ille prius vendere iure poteſt.

Item.

Item. *Pollicitus cœlum Romanus, & astra Sacerdos:*
Per scelus & cædes ad stygа pandit iter.

Item de filia eius:

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Hoc 1500. anno iubilæo nascitur Carolus V. in Gandauo Flandriæ oppido, patre Philippo Archiduce Austriæ rege Hispaniæ, matre Iohanna regina Castiliæ, & Arragoniæ die intercalari, seu Matthiæ prima, die Lunæ mane hora 3. min. 40. *Carolus V. nascitur.*

Sena QVater Læto FebrVI LVX ConstItIt astro
GanDaVI aD CVnas CaroLe QVInte tVas.

17. Martij die Martis, qui Gertrudis 21. die post Carolum Quintum nascitur Adrianopoli Solymanus, patre Solymo prima hora meridiei; an verò ex filia Bosphorani regis natus sit, circumstantiæ declarabunt.

Dum Turcico bello ita implicantur Veneti, & Papa 1501
genio & gulæ indulget (*post horas ordinarias ad preces, contra Turcam institutas.*) Ludoicus Sfortia Mediolanensem ducatum recuperat.

Veneti Antonium Grimanum amiralium, vt suspectum proditorem ab officio remouent, & substituunt ei Melchiorem Triuisanum, qui statim classem in Cephaleniam insulam ducit, & per aliquot menses eius metropolim horribiliter oppugnando quassat: verùm peste oborta retrocedere cogitur, & quasi victus dolore animi exstinguitur. *Grimanus remouetur.*

Benedictus Pisaurius successor Triuisani, auxilio Consalui Magni Pylum (*Nestoris patriam hodiè Giunco dictam*) expugnat, & Cephaleniam vi expugnatam suo duci Veneto restituit.

1502 Veneti diuturno bello fracti, per Antonium Gritti legatum, donis maximis additis, pacem à Turcis impetrant, & quidem perpetuandam.

Ladislaus Vngarus regno Galliæ inhians; cum Pontifice Alexandro agit, Beatricem repudiat, & auro placat, & ducit Annam ex Vasconum familia regia Galliæ oriundam, adeoque vnicam hæredem Gallici regni, cum Ludoico nulla soboles, sed spe frustratur.

1505 Turcici Bassæ periculosissimum bellum, cum Ismaële Persarum rege gerunt, quod Peucerus copiosius describit.

1510 Terræmotus ad certas, statasq; horas per 40. dies Constantinopolim admodum destruit. Conciderunt enim templa, turres, 800. ædes, & bona pars muri vrbis, quin & 3000. (al. 13000.) homines perierunt. Hoc terræmotu post 40. dies finito Baiazetes 80000. murarios Adrianopoli collectos, mittit, vt vrbem reædificent. Bassæ Turcici omnem culpam huius casus transtulerunt in Baiazeten, quod à Mahometo propheta ita puniretur, eò quòd non deleret Christianos. Hinc Corcuthes in Asiam mittitur ad sedandos motus intestinos, sed vincitur & post eum etiam Alibegus victus cæditur, donec tandem rebelles ipsi à Scacho Ismaële deleti.

Filius patri insidias struit. Interea Selymus Bassa Trapezuntis, Baiazetis filius Euxinum traijcit, & Caphæ inscio patre vxorem ducit, filiam regis Præcopitarum Tatarorum: & instinctu noui soceri à patre suo nouam prouinciam postulat, & ne repulsam patiatur, ipsemet ad patrem iter suscipit.

Baiazetes suspectum habens postulatum filij, dat ei Sangiacatum Semendriæ circa Albam Græcam, & Adrianopoli relicta Constantinopolim properat, vt caput Imperij,

perij, & palatium regale præoccupet. Selymus patris 1511 fugam audiens prætendit se filium venire, & prius salutaturum patrem; postea Semandriam occupaturum. Quia verò nec hoc dolo aditum ad patrem inuenit, vi viam sibi quærere conatur. Baiazetes podagra laborans ex lectica suos hortatur ad prælium. Præcopitæ Tatari cæduntur à Spachis. Selymus vulneratus Varnam fugit, & inde naui ad socerum suum. Hunc conatum vt bellici animi inditium Ianizari arripiunt, pertæsi Philosophicorum studiorum Baiazetis & Corcuthis (*quem antea Imperatorem elegerant in locum aui donec pater veniret*) & totis viribus pro Selymo absente laborant, ne alius fratrum coronam arripiat. Ac proinde Acomathem à Baiazete citatum intercipiunt in Chalcedone vrbe. Baiazetes Ianizarorum intentum olfaciens, blandis verbis Acomathen monet, vt reuertatur in Amasiam, & citatus velocius, & callidius aduolet. Acomathes sentiens dolo rem agi, iram in patrem concipit, arma sumit, & Natoliam vi sibi subijcere conatur. Alemsciacum patruelem suum Iconio pellit: Legatos Baiazetis naribus abscissis deformatos, sarcasmis diris dimittit, & nihil non crudele in patrem suscipit.

Alter filius contra patrem.

Corcuthes ex Magnesia ad patrem Constantinopolim currit, coronam anno 1481. promissam ex pacto poscit: Pater blandis verbis hunc sedat, & coronam paulo post tradendam dicit.

Ianizari Selymum Imperatorem volentes, callidè Baiazetem accedunt, petunt vt vindicet iniuriam legatis ab Acomathe illatam, ducem sibi poscunt Selymum & nullum alium admittere volunt. Baiazethes videns se in-

ſe intra ſacrum & ſaxum hærere, per legatos Selymum vocat, venientem in gratiam recipit, & iubet vt frenet fratrem Acomathen.

Quia verò Selymus, non vt dux, ſed Imperator, colitur à Ianizaris, & Muſtapha Baſſa nomine Ianizarorum Baiazeten adit, & ſatis pro imperio poſcit, vt corona Selymo tradatur: Baiazetes clam corradit Theſauros Turcici regni, nauem conſcendit, & Dimoticum vrbem ad Euxinum petere conatur. Corcuthes ſibi metuens, & patrem fugere videns in Magneſiam refugit. Ianizari hoc audientes, reuocant ſuos ſocios, mittunt legatos, qui conſenſu Selymi clam agunt cum Archiatro Baiazetis, cui nomen Hamon Iudæus, vt auro accepto Baiazetem veneno tollat. Hamon auro inhians ægrotanti ſuo Sultano venenum loco medicamenti offert, & ita Baiazetes in pago Chaphze, ad littus Euxini maris moritur ætatis 74. (*al. 66. al. 76.*) regni 31. ſalutis noſtræ 1512. Mahometico 918. 9. Aprilis.

Baiazetis Mors.

Soboles

1. Scianſciacus *al. Sinan Schach, al. Scienſciacus, al. Sciemſcia qui in Cilicia pacatè vixit, & ſua morte intempeſtiua patrem in maximū luctū coniecit, reliquit filios*
   - *Alemſciacum qui adoleſcens obijt.*
   - *Mahometē qui à Selymo ſuffocatus.*
2. N. filia Iacuppo Vſun-caſanis filio copulata.
3. Alemſciacus *qui morbo extinctus reliquit filium* Orchanem *qui à Selymo ſtrangulatus.*
4. Acomathes *qui in Amaſia fuit, & est à fratre occiſus, reliquit duos filios*
   - Amurathen *qui in Perſiam ad Schachum fugit, & eius filiam duxit.*
   - Aladinum *qui in AEgyptū fugit, & febri obijt.*
5. N Vſgurleſi filio copulata.
6. N. Dauidi Baſſæ copulata.
7. Mahometes *qui admodum delectabatur iocis, & comœdiis. Nam 1. parentem habitu viſitauit Pirata, eique puerum Christianū donauit, pro quo à patre pretioſam veſtem recepit & pater non ſenſit filium ſuum eſſe. 2. Etiam ad fratrem Acomathen perſonatus venit, habitu Citharadi, & ad valuas templi cum à fratre*

Eleemo-

Eleemosynam 5. aspros accepisset, domum rediens epistolam fratri misit, & 5. aspros, obijciens ei tenacitatem, qui tribus musicis tantum 5. aspros donauerit. Sed in venatione fatigatus venenum loco vini propinatum sumsit & exspirauit, relinquens vnicum filium, qui vocatur Zilebus.

8. Corcuthes al. Corcuthus *qui patrisans in Castemo Magnesiæ vrbe tātum in Mineruæ castris versabatur, & insignis Philosophus fuit, reliquit tres filios impuberes* { *N. N. N.*

9. Selymus *al. Zelym, qui patri in regno successor iam dicto modo constitutus est secundum communem consensum scriptorum nostrorū. Eius filius Solymanus.*

Synchroni:

- *Imperatores Occidentis seu Germanici* { Fridericus III. Maximilianus I. 149¢. 25.
- *Pontifices Romani* { Innocentius VIII. 1484. 8. Alexander VI. 1492. 11. } *dies.* Pius III. 1503. 26. Iulius II. 1503. 9.
- *Electores Brandeb.* { Iohannes Magnus 1486. 13. *dictus Germanicus Cicero.* Ioachimus I. 1499. 35. *qui A. C. 1506. 27. April. fundauit Academiam Francofordianam ad Oderam fl. Marchiæ nouæ.*
- Fridericus Sapiens Elector Saxonicus 1486. 38. *qui anno 1501. fundauit Academiam VVitebergensem.*
- Americus Vesputius Lusitanus 1498. nouam terram explorauit, *quam suo nomine Americam vocauit.*

3. SELYMVS primus. 7.

Tertius AEgyptum Selymus, Syriamq; subegit. 1512

Selymus eius nominis primus, filius Baiazetis II. vir breuibus cruribus, promisso ventre, & proinde eques magis, *Ingenium* quàm pedes commendabatur, facie subrotunda, sed & pallida, oculis prægrandibus feritate plenis, cogitabundus, primus barbam rasit (*ne videlicet à Bassis huc illuc raperetur vt pater*) venationi deditissimus, temperantia prædecessores suos omnes superauit, & diligens lector fuit historiarum, Turcicè redditarum, præcipuè bellorum Alexandri Magni,

gni, & Iulij Cæſaris, quorum ad exemplum ſuas quoque actiones inſtituere ſolitus fuit.

In ferijs paſchatis Chriſtianorum, ſeu 11. Aprilis à Ianizaris Imperator ſalutatus, & ſolenniter inauguratus, defunctum patrem ſolenni pompa, & largis lacrymis *(parricidium vt cælet)* ſepelit: militibus ſtipendia auget, & honoraria largiſſima diſtribuit: Hamonem Iudæũ patris Archiatrum gladio ferit, dicens: Tollendus eſt Sultanicida, ne & me tollat veneno, ſi maiore vi pecuniæ corrumpatur.

AEmuli tolluntur. Mox in Aſiam traijcit Acomathen fratrem vt tollat; Quia verò ipſum audit in Caramaniam fugiſſe, Pruſæ ſubſiſtens, fratrum filios, hinc inde collectos, ſuffocat.

Fratricidia. Corcuthum in Magneſia quærit, antè exortum Solis, vt in lecto obruat eum. Audiens verò eum aufugiſſe eius filios adoleſcentes optimæ indolis ſuffocat, & per 15. dies exploratores emiſſos expectat, poſtea Pruſam reuertitur. Corcuthes autem fugerat in deſertum, & latuerat in ſpelunca: cum verò fames, & ſitis eum cogeret exire, ab exploratore *(al. à venatore)* eſt comprehenſus, & Pruſam deductus. Selymus Begum ſuum neruo inſtructum ei obuiam mittit, & iubet vt mortuum Pruſam adducat. Begus ille in catenis vinctum Corcuthem incidit in oppido Egrigos, noctu eum obruit, & dormientem ſuſcitat, dicitque: Ecce hunc neruum dedit mihi frater tuus, vt te ſuffocem. *Corcuthes.* Corcuthes territus reſpondet: Eja moriar, ſed porrige prius calamum, & chartam, ſcribam epiſtolam, illam dabis fratri meo, cum meum cadauer ipſi offeres. Porrigitur quod petit: & pro ſua eruditione, & eloquentia aliquot rithmos conſcribit noctu ad lucernam, quibus ei obijcit Tyrannidem, & iuſtum iudicium DEI annunciat. Abſolutam epiſtolam obſignat, & de collo ſuo ſuſpendit, & iubet vt

bet vt Begus exequatur ſententiam fratris: ſtrangulatur, & manc fratri Selymo mortuus offertur, Selymus detegit velum, & perlegit epiſtolam, & in largiſſimas ſolutus lacrymas è veſtigio imperat, vt exploratores Corcuthis, qui eum de ſpelunca traxerant, decollati in mare proijciãtur, eo ipſo in loco vbi eum cepiſſent, quod & ſtatim factum. Hinc Muſtapha Baſſa mittitur, vt Acomathis filios ſimili 1513
ſupplicio interemtos Pruſam ad ſepulcrum conſanguineorum adducat. Muſtapha & commiſeratione in adoleſcentes, & ſupplicio exploratorum Corcuthis motus, monet vt mater filios aliò mittat *(& quidem Aladinus in Ægyptum, qui tamen in itinere febri extinctus eſt: Amurathes verò in Perſiam fugit, & gener Sophini factus copias collegit, quibus vi regnum ſuum recuperet)* Quin & ipſi Acomathi ſcribit, vt redeat, & liberos, vxoremque defendat.

Selymo hoc nunciatur; Muſtapha ad cœnam vocatus vt rebellis, & perfidus, abſq; reſpectu priſtinorum officiorum Gratitudo.
& periculorum, quæ pro Selymo ſubierat, in cœnaculo nigra ſtola donatus *(cum reliqui Baſſæ purpureâ)* decollatur.

Acomathes ſuam ſobolem liberaturus redit, & Selymum ſolum eſſe audiens, Baſſas autem hinc inde dimiſſos, feſtinat 25000. armatis ſuum fratrem obruere. Verum conatus eius Selymo reuelatur per proditorem. Ianizari per celeres Conſtantinopoli aduocantur. Acomathes prima vice victoriam reportat. Sequenti verò die ſuccurrunt Ianizari Selymo, & Acomathis exercitus cæditur, ipſe Acomathes equo delapſus, & in paludoſo loco hærens viuus capitur, & ſtatim ſuffocatus Pruſam defertur, & ad reliquos ſepelitur.

Schachus Iſmaël Sophi *(id eſt, Iſmaël reformatus rex, ſeu reformati Alcorani amplexator)* nouum generum ſuũ, Amura-

 then

thenAcomathis filium exulem, magnis copijs instructum, mittit, & ipsemet mox sequitur, 26. Augusti ad Choim vrbem in campis Calderanis Turci Persis obuiant, pugnatur egregiè, 30000. Turci cadunt: Ismaël suis succurrit, sed sub vesperam vulneratus Turcis cruentissimam relinquit victoriam.

Postero die Selymus Persas vt profugos obruere conatur: ast illi conuersi calliditate rem gerunt, & ex insidijs ab vtraq; parte Turcos obrutos cædunt, & spolia ampla referunt.

Tertio die Selymus recollectis copijs Persas spolijs o-
1515 nustos cædit, Taurin vrbem occupat, & victor Aladolum montanis gentibus Tauri, & Antitauri imperantem inuadit, Castagelu cognatus Aladoli iter intercludere conatur, Ast Sinan-bassa tamen penetrat: Aladolus à suis, qui Turcos metuebant capitur, & Sinan-bassæ traditur: Aladoli caput abscissum, cum Asiæ ostentatum fuisset, Senatui Veneto dono mittitur, & fœdus cum ipsis renouatur: Filius verò Aladoli in AEgyptum fugit ad Campsonem, & vindictam contra Selymum petit. Aladoli regnum in tres præfecturas Selymus diuidit, & Iconium in Lycaonia se confert, & Visiri-bassam Acomathem, adeoq; Scander-begum Bassam generum suum, & Cadilescherum, cum plurimis alijs extremo supplicio afficit, eò quod autores seditionis perhiberentur. Aiunt eum & filio Solymanno misisse vestem veneno tinctam, quam tamen mater prouida cubiculario cuidam tradidit, qui statim interijt.

Iohannes VVeiuoda Transyluaniæ, audiens Selymum bellis Asiæ implicatum, colligit copias, & Turcis vim inferre conatur. Ast non solum milites amittit, sed & præsidiarios currus relinquit Turcis. Similiter & Vngari Samandriæ

mandriæ imminent: aſt pari infelicitate: nam turpiter repelluntur: & inſuper Turcici latrones per Croatiam, & Illyriam crudeliſſimè graſſantur.

Maximilianus Imperator, Ladiſlaus rex Vngariæ, & Sigiſmundus Poloniæ rex comitijs & conſilijs certant. Selymus præſidijs ad limites contra Chriſtianos relictis, in Aſiam reditũ parat, cum ſentiat nihil deinceps à Chriſtianis moueri, & vindictam ſumere de Iſmaële, eò quod Amurathen defendendum ſuſceperat, conatur.

Hæc videntur caſu facta, ſed profectò ſingulari DEI conſilio, qui renaſcenti Eccleſiæ Halcyonia voluit. Nam Lutherus debebat lucem Euangelij per Germaniam oſtendere, & tenebras Papiſticas depellere.

Quia igitur Selymus Sophinum Schachum Iſmaëlem 1516
vult bello inuadere, non ſolum ad expeditionem neceſſaria præparat, ſed & legatos ad Campſonem Gaurium Sultanum AEgypti mittit, & monet ne ſe immiſceat bello alieno, præcipuè quia audit Campſonem cum ingenti exercitu aduenire per Syriam.

Campſon Gaurius Circaſſus militem collegerat, & *Campſon.*
vt ſupplicium ſumat de perfido Cair-bego, & Aladoli filium regno patruo reſtituat. Quare cum legatos Selymi audiſſet, reſpondit, ſe non arma depoſiturum, niſi à prouincijs Iſmaëlis abſtineat, & Aladoli filio regnum reſtituat, & ſimul ad conuiuium ſuos proceres vocat (*Cuius exemplum vix ſimile puto. Nam menſa tanta fuit, vt capere potuerit* 2000.*conuiuas, reliqua legantur in Mullero capitibus* 13. 14.15. *Conuiuiũ conuiuiorum.*
16. 17. & 18. parte tertia) ſub dio ad Amanum montem in amœniſſima planitie, non procul à littore maris. Finito conuiuio vino pleni deliberant, quid vlterius agendum, num Turci, an verò Cair-begus prius ad ſupplicium rapiendus.

 Dum

Dum hi tam opiparè consultant, Selymus agit: & 24. Augusti die Bartholomæi Campsonem obruit, consilio, & ductu Cairbegi. Pugnatur non æquo marte, AEgyptij cæduntur, Campson 76. annorum vir armis, abdomine, & ramicis pondere grauis in fuga equo delapsus, pedibus fugientium conteritur.

Selymus in AEgyptios Selymus mutata sententia bellum Persis quod inferre decreuerat, AEgyptijs infert, & Campsonis socios profugos insequitur ad Damascum vsque. *Palæstina deditionem facit.* Syria tota exanimata morte Campsonis plurimùm deditionem facit. Sidon, Ptolemais, & Samaria exemplo Damasci in Selymi fidem recipiuntur. Ramath (*patria Samuelis*) vi oppugnatur. *Ierusalem.* Ierosolyma deditionem facit: vbi Selymus largissimas eleemosynas distribuit, & sepulcrum Domini bis preces solennes ad DEVM suum facit.

Gaza. Hinc Sinan-bassam mittit, vt Gazam expugnet. Gazelles præses Syriæ ex AEgypto (*vbi Tomombæum Campsonis in locum creauerat Sultanum Alcairi*) cum copijs redit, & Gazenses liberare conatur. Selymus in Bethlehem ad præsepe, seu cunas Christi preces fundens, & à DEO auxilium per desertas arenas petens, audit hoc: Quare Sinan-bassæ succurrit. Gazelles victus, amissis suis copijs, per solitudines vix euadit. Gaza vi expugnatur, & Turcicis præsidijs munitur.

Iter periculosum superatur. Hinc accingunt se ad iter periculosissimum per arenas Arabiæ. Sinan-bassa præcedit, Cairbego viam monstrante per Pharan desertum. In pago Deire Chusan-bassa suffocatur iussu Selymi, eò quod non solum dissuaserat iter, sed & milites exanimare conatus fuerat, exaggerando difficultatem viæ, siccitates, & arenas maximas deserti & Pharan, & Sur, & sanè nisi toties pluis-

pluiſſet, Turci in deſerto Sur defeciſſent.

Tomombæus anguſtias montium deſerti Sur præoccupat, & non ſolum machinas bellicas ibi ordinat, ſed & clam maximas foſſas fodit, in quas, vt occultas Turci cadant.

Arabes Turcis magis, quàm Tomombæo fidentes Selymo hoc reuelant. Quamobrem iter ſuum flectit, & viam per inuia loca quærit: vbi ſanè magis cum loci aſperitate, quàm hoſtis feritate erat pugnandum.

Tomombæus videns ſua conſilia irrita reddita, 26. Auguſti cum prodromis Turcorum concurrit, ſed victus recedit.

6. die, qui Epiphaniorum nobis eſt, Ianuarij, Tomombæus redit cum nouis copijs, vt intercipiat Turcos antequam per anguſtias montium ducti coniungunt vires. 1517

Selymus autem omnia extrema potius tentaturus, quàm receſſurus cruentiſſimam reportat victoriam. Sinan-baſſa enim cadit cum multis Turcis: inter quos etiam ſelectiſſimi Ianizari.

Tandem ſuperatis locis periculoſis ad Nilum caſtra locat, propè pagum Matharæam ad ſextum ab vrbe lapidem. 24. Ianuarij Tomombæus denuo Turcos, antequam perficiant quod volunt, adoritur; pugnatur acerrimè, cumque res in acie nouaculæ verſaretur, & Selymus cum ſuis iam paratus eſſet potius mori, quàm recedere, Arabes (*qui Turcis fauebant, & de ſuis & ſui Tomombæi viribus deſperabant*) ſponte deditionem faciunt: AEgyptij cum Tomombæo in vrbem fugiunt, & Selymus 25. (*Calendarium Eberi planè aliter numerat dies*) Ianuarij

nuarij Alcairum obſidet. 27. Februarij Tomombæani eruptionem faciunt, Ionus-baſſa ſuperatur: Tomombæus verò retrocedere cogitur 11. vel 13. Aprilis, Alcairum ſeu Memphis proditione traditur Selymo: ciues cum ſuo Duce ſe opponunt hoſti: in plateis hinc inde certatur armis: Tomombæus in fugam ſe conijcit, & in paludibus à ſuis ſubditis captus, Selymo traditur. Quare in quæſtione diu de theſauris acerbiſſimè torquetur, ac tandem aſino impoſitus, & per vrbem, laqueum de collo geſtans, ignominiosè circũductus, in medio vrbis ſub porta fori, quam Babſuëlam *(al. Bab-Suvvelam)* vocabant, vnco ferro ſuſpenditur. Hinc Selymus victor reliquos in fidem ſuam ſuſcipit, vicinas vrbes, præcipuè Alexandriam viſit, & Alcairum redit. Cair-begus, & Ionus-Baſſa conſtituuntur præſides AEgypti. Selymus reditum parat in Thraciam Alcairo relicto. Aſt Ionus-baſſa nolens ferre parem Cairbegum, clam apud Selymum, in initio deſerti Sur adhuc hærentem, literis miſſis accuſat, tanquam coronæ affectatorem. Selymus Cair-begum per celeres vocat, & læto animo mox aduolantem ab equo detractum capitali afficit ſupplicio, non audita eius reſponſione ad accuſationes Ioni-baſſæ (*Leuenclauius Ionum-baſſam per Cair-begum ita accuſatum dicit*) atque ita Cair-begus meritas proditionis pœnas luit.

Alcairum capitur. *AEgyptus occupatur.* *Delator auditur.*

1518 Selymus ſuperatis arenis deſerti Sur, & Pharan in Palæſtinam, & Syriam redit, Gazellem vaſallum & tributarium ſuum Syriæ Baſſam conſtituit (*aſt non abſq; odio Ianizarorum, qui reprehendunt hoc factum, quod nimirum exteris, qui deditionem feciſſent magis tribuat, quàm quorum fidem hactenus probârat*) & adducens plures, qàum quingentas nobiles familias, magnamque fœminarum, & puerorum AEgyptio-

ptiorum multitudinem triumphabundus Constantinopolim redit, arma deinceps in Vngaros conuersurus.

In Europa fama hoc subitò nunciat. Maximilianus comitia Augustæ Vindelicorum celebrat, in quibus de medijs, quibus turcica vis repelli possit, agitur, & Lutherus cum Thoma Caietano Cardinale, Legato à latere Leonis X. per Germaniam, eruditissimè & grauissimè colloquitur de Tezelij auaritia, & theses suas de indulgentijs defendit. *Comitia Augustæ.*

Verùm dum hi inter se conueniunt, & expeditionem contra Turcos meditantur, Maximilianus Imperator Germanicus 12. Ianuarij die Mercurij moritur, & cum ipso ipsa expeditio. 1519 *Maximilianus moritur.*

Selymus verò bello AEgyptiaco & Syriaco tam feliciter confecto, vires recolligit, vt eò atrocius in Christianos ruat: pariterque filium, regulis vitæ (*Othomanicè intelligendo*) instruit, Pyrrhoque Bassæ grauiter iniungit, vt easdem, vt experientia probatas, Solymano crebro inculcet. Præterea & effigiem suam in cubiculo ad lectum suspendit, cum hac inscriptione: Sulthanus Selymus Othomanus, Rex Regum, Dominus Dominorum, Princeps principum, filius & nepos DEI SSSS.

Hanc effigiem postea Solymanus filius admodum exornauit, & regulas patris tres præcipuas aureis literis ad Tabulæ latera adscribi curauit.

1. Ad Sinistram tabulæ Sclauonica lingua. 2. Ad dextram imaginis Selymi, græca lingua; 3. Ad calcem Iconis, Turcica lingua aureæ istæ regulæ scriptæ fuêre, in hunc modum.

1.		2.
Delinquentes secunda vice ne dimittito, sed crudelissimo afficito supplicio.		*Consanguineos suspectos præ aliis festinato è medio tollere, ne sit imperij æmulus.*

3.

In bellis ipsemet præsens adesto si cupis fructus vtiles inde percipere.

1520 Cum itaq; Selymus iam Syriam & AEgyptum suo imperio adiecisset, Constantinopoli relicta (*vel pestem fugiens, vel pascha alibi celebrare volens*) Adrianopolim proficiscitur. At in itinere vlcus in humero nascitur, quod magnos ipsi Selymo parit cruciatus. Quapropter subsistit in itinere, & tentoria figit circa Chiurlum pagum Thraciæ, medicos vocat (*qui apostema pestilentiale esse vident*) & iubet vt curent quamprimum. Pyrrhum & Acomathen Bassas Adrianopolim præmittit, vt præparent ad festi paschatis celebrationem necessaria. Ferrathen Bassam verò, vna cum medicis secum retinet, donec sanato vlcere eò sequatur. Ast vindicta diuina adest, apostema longè, lateque cancri instar serpit, & tertio die Selymus eo ipso in loco, quo olim cum Præcopitis Tataris patrem suum Baiazeten opprimere conatus fuerat, exhalat animam, ætatis suæ 46. regni 8. Christi 1520. Mahometis, 926. 7. Scheual, qui tunc respondebat, nostro Septembri: sepelitur Constantinopoli.

Selymi Mors.

Eius Epitaphium tale legitur.

Hic maximus adsum Selim, qui orbem domui:
Non bella relinquo, sed pergo inquirere grauia:
Non vlla potuit me fortuna euertere:
Licet ossa iacent, animus bella quærit.

Sobo-

Soboles Selymi { N. Filia copulata Scanderbego Bassæ.
Solymanus *qui successit patri mirabiliter per matrem seruatus, ne Veste Venenata interficeretur.*

Synchroni Selymi primi.
- *Imperatores*
  - Maximilianus I. 1499. 25.
  - Carolus V. 1519. 39.
- *Pontifices*
  - Iulius II. 1503. 9.
  - Leo X. 1513. 9. *al. Iohannes Mediceus Florentinus filius Laurentij magni 39. annorum quando electus in pontificem.*
- Elector Brandeburgicus Ioachimus I 1499. 35.
- D. Martinus Lutherus *repurgator Euangelij ex tenebris Papisticis, lucem salutificam in Saxonia accendit A. C.* 1517. *& inde per totam Europam.*
- Ferdinandus Magellanus *Lusitanus mare Magellanicum inuenit* 1520.

4. SOLYMANVS 46.

Obsedit quartus Solymanus tecta Viennæ.

Solymanus (*al. Suleiman, al. Seuleman, al. Seuleimanes quod aliàs Salomon*) vnicus hæres, & successor Selymi primi, adolescens placidus, modestus, religiosus, negotiosus, seu nunquam otiosus, inuentor rerum ad pacem, & bellum vtilium: vnde agnus dicebatur Leoni succedere. Vir factus vulgatum dicterium suo exemplo confirmauit: Angelicus Iuuenis senibus Sathanizat in annis, vtpote qui studia quidem fouit, & memorabili schola, & hospitali sibi monumenta fecit: Verum interim horrendis libidinibus, exstructo tyrannide & ambitione pollutissimus. *Ingenium.*

AEtatis 20. anno, Octobri mense, patri succedit, ex Magnesia per Saray-bassam aduocatus: & vt proximo mense post Carolum V. natus: ita proximo anno post Carolum salutatus est Imperator.

Parentem suum in proprio suo hospitali (*id est ædificio in quo Selymus sibi sepulcrum & pauperibus sustentationem constituerat.*

stituerat) cum sepeliuisset, in Sarayo deductus est, & Imperator solenniter salutatus: inde in Sophiæ templum ad preces, & sacrificia: vnde rursus ad conuiuium solenne, in quo Bassis nouas vestes, Ianizaris honoraria regalia pro more distribuuntur. Hinc vicinis Europæ Dominis vel pacem, vel bellum, secundum leges Mahometicas offert.

Res gestæ. Sub initium sui imperij Parthis primo bellum infert: iuuenili autem feruore rem agens 100000. suorum amittit vno prælio. Quare Ianizari ipsum, vt imperio non idoneum, clam conantur tollere: ipse verò precibus & lacrymis culpam deprecatur, & quæ in Asia amisit, in Europa recuperare promittit adeoque Albam Græcam, & Vngariam suo imperio adijcere.

1521 *Gazelles.* Gazelles Sori-bassa seu Syriæ præses Selymi morte cognita, se suo iuramento satisfecisse ratus, non Solymãno, sed sibi regnum quærere conatur: implorat auxilium Rhodiensium, adeoque consilium, & opem Præsidis AEgypti. Cair-begus AEgypti Præses legatos Gazellis interficit, & per celeres eius seditionem Solymano reuelat. Ferrathes-bassa *(al. Farates)* Gazellem milite Turcico obruit & ad Damascum victum cædit, & Cair-begum Ionum-bassam vt fidelem denuo confirmat.

Ianizari verò instant vt promissis Sultanus satisfaciat suis, hortanturque vt Belgradum primo quoque tempore captet, cum illa vrbs superbè ostentet trophæa, & anathemata olim Turcicis Sultanis ademta. Alij volunt caussam belli fuisse hanc, quod Vngari legatos Solymani pacem, vel bellum offerentes in carcerem coniecerint, vindicaturi suum legatum Barnabam Belum, olim à Selymo I. detentum, ad aliquot annos, non tamen interfectum. Copiæ colliguntur: Ferrathes-bassa ex Syria reuocatur: Vngaris

garis hæc omnia prænuntiantur: aſt ſurdis fabula.

Solymanus Philippopolim, & inde Sophiam peragratus, Belgradi limites attingit: Præfectus Belgradi per celeres ſuos Ludoico regi nuptias adornanti ſignificat, ſimulque militem, & pecuniam poſcit. Ludoicus hoc nuntio exanimatus, neſcit quid agat: Vngari eius meticuloſitatem rident, iubentque vt exporrigat frontem, rem eſſe extra periculum, alius celer venit, & vehementius poſcit opem tantum 100. floren. vt militibus aliquid dari poſſit, ne abeant. Rex qui ita à ſuis proceribus exhauſtus, vt ne vinum quidem, quo ſitim ſedaret, ſoluere poſſet, ad proceres ſuos, quos ſupra modum donis, & honorarijs infinitis ditauerat, denuò confugit, aſt ex ſilice aquam: implorat opem Sileſiorum qui 500. pedites mittunt (*nolebant enim ſeruire regi pecunia carenti*) aſt antequam adueniunt, Belgradum, à Turcis vi occupatur. Quantam gratiam apud Ianizaros Solymano hæc victoria pepererit, non facilè dixerim. Imo & ipſius Sultani mens ex copijs epiſtolarum eius palam fiet. *Alba Græca capitur.*

1. *Exemplar. Solymanus Tzaccus DEI gratia Rex regum, Dominus Dominantium, maximus Imperator Byzantij & Trapezundarum rex præpotentiſſimus Perſidis, Arabiæ, Syriæ & AEgypti, Dominus Aſiæ & Europæ, princeps Mechæ, Alepi, Ieroſolymorum Dominator, poſſeſſor maris vniuerſi, Reuerendo patri F. Philippo Vilerio Liladamo Magno-Magiſtro Rhodi, & Aſiæ legato, Salutem.*

GRatulor tibi aduentum, & nouum principatum, quem habeas diu fauſtum, ac felicem cupio. Spes enim mihi eſt quod virtute ac fide ſuperaturus ſis omnes, qui retrò

trò in Insula Rhodiensi imperarunt, à quibus maiores mei semper vim suam abstinuerunt: quorum exemplo tecum ineo gratiam & amicitiam. Gaude igitur amice, & gratulare mihi victoriam, & triumphum. Siquidem æstate superiore Danubio traiecto Vngarorum regem, quem occursurum credebam in acie sub signis expectaui inauso prælio decertare. Taurunum totius regionis vrbem munitissimam, & vicinas aliquot arces vi abstuli, multis mortalibus ferro, & flamma trucidatis, plærisque in seruitutem redactis, victor & triumphator in hyberna regressus sum, ad regiam meam almam vrbem Constantinopolim. Vale.

Alia Epistola.

Solymanus &c. Lilidamo &c. S.

CErtior factus sum meam epistolam redditam esse, quam quod rectè intellexisti (*mirum dictu*) quàm placuit. Confide quod victoria Tauruni minimè sum contentus, alteram spero, imò mihi polliceor: Quam tibi, cuius semper sum memor, nequaquam occultam esse sinam. Vale ex Constant.

Alia Epistola.

Pyrrhus Apocletus F. Philippo Vilerio
Lilidamo Magno-magistro Rhodi
& Asiæ legato S.

EPistolam tuam, sensu maiorem, quàm literis exhibui maximo Imperatori nostro: tabellarium autem non sum passus admitti, ne plebeio nuncio offenderetur: ad quem mittes deinceps viros illustres, ætate & prudentia commendatos, quibus cum, si in animo habeat, possit de re communi transigere. Quod si facies non te facti, nec me consilij pœnitebit. Quem mitto, adfert ad te literas etiam

etiam à nostro Imperatore, cuius diuino numini quomodo sit respondendum, monitus es. Vale ex Constantinopoli.

Responsio.

Frater Philippus Vilerius Lilidamus
Magnus-magister Rhodi Pyrrho
Apocleto. S.

LIteras tuas simul & nuncij mores, & ingenium diligenter perpendi. Consilium tuum non contemno, nec obseruo quidem, dum miles meus agros, portusq; tui Domini deprædatur: quod vt tolerem, fecêre iniuriæ quas à Piratis Turcicis acceperunt. Verùm reuocabo excurrentes, missurus ad Imperatorem tuum oratores, ad quos fidem publicam exeundi, & redeundi eius diplomate testatum præmittas. Vale ex Rhodo.

Alia Epistola.

Solymanus &c. Vilerio, eiusque equitibus, & vniuerso populo.

COmmouerunt me afflictisimæ meæ gentis commiseratio, & iniuria vestra summa. Impero igitur vobis deditionem piè vltroque concessa gratia securè abeundi cum omni supellectile, aut si libet, manendi sub meo imperio, in nullo nec tributo quidem minuta libertate, aut religione vestra. Si sapitis præferte amicitiam, & pacem crudelissimo bello &c.

Ex his epistolis patet, & quod dixi, & quod postea de occasione occupatæ Rhodi dicetur.

Sub hoc tempus Ali-begus nefariè cum filijs trucidatus, & regno hæreditario priuatus. Nam Ferrathes-Bassa, cum non multis militibus ad eum proficiscitur (*reconciliaturus videlicet suum imperatorem, cuius læserat*) *maiesta-* *Morbus Leonis ægrotantis.*

maiestatem) & in itinere simulat se morbo repentino corripi: mittit legatos ad Ali-begum, testaturque se morti viciñum, ac proinde petit vt mox aduolet, & testamentum suum accipiat, militemq; sibi commendatum habeat. Vocatus accurrit cum vtroq; filio visitaturus suum intimum, & testamentum cogniturus. Vbi verò tentorium ægroti ingressus fuerat obruitur à lictoribus, & miserè cum filijs trucidatur. Hac calliditate Ferrathes-bassa Cappadociam, Galatiam & Armeniam (*quibus Ali-begus hæreditariè præerat)* suo Sultano subijcit, & mox in gratiam recipitur ab eo, qui omnia regna iustis hæredibus præripere, & suis subijcere gestiebat.

1522 Solymanus Rhodiensium facto (*quod ex superiori epistola notum)* motus exercitum 200000. Turcorum 240. nauibus imponit, & 4. Iulij Rhodum Insulam terra mariq; obsidet. Erat in ea Lilidamus (*al. Viladamus*) cum 700. equitibus ordinis S. Iohannis qui viriliter indefessum studium, & laborem Turcorum, expugnationem vrbis miris modis vrgentium, sustinent, & eorum conatus sæpissimè irritos reddunt. Quia verò à reliquis Christianis deseruntur, tandem 25. Decembris deditionem faciunt, præcipuè quando vident Ferrathen-Bassam ex Natolia, & Cair-begum ex Africa plures naues adducere. Equites dediticij in Italiam fugiunt, & à Carolo V. Maltam Iusulam traditam occupant, suoque studio contra Turcorum insultus præmuniunt. Hic mutato nomine cœperunt dici equites Rhodienses, cum antea hospitalarij S. Iohannis dicerentur. Cair-begus morbo ad Rhodum contracto, in itinere moritur, & Ibrahim-Bassa Acomathen Cairi regnum sibi rapere conantem, delet.

Rhodus occupatur.

Hoc bellum halcyonia peperit Euangelicis Germaniæ.

niæ. Nam ſuperiori anno Lutherus VVormatiæ publicè Chriſtum purè profeſſus eſt: & hoc anno 6. Martij ex Pathmo redijt VVitebergam, vbi Carolſtadium Iconomachum,& technophonum expulit,& ornatum templi & ſeminaria Eccleſiæ Scholas & Academiam reſtaurauit.

Hoc anno quidam volunt Maltam Inſulam obſeſſam primò, & fruſtra à Turcis oppugnatam, eò quod exules equites Rhodi excepiſſet. 1523

Satanas ægrè ferens ſcholarum reſtitutionem & Eccleſiæ reſtaurationem, adeoq; coniugij ſanctificationem, nouas turbas excitat, per ſeditioſos ruſticos, qui tamen tempeſtiuè â pio & vigilante magiſtratu repreſſi ſunt. 1525

Promiſerat Solymanus Vngariam ſubigere, & re ipſa ſe regno idoneum probare. Quamobrem Belgradum redit, & inde hoſtiliter graſſatur in obuia. Vngari genio indulgent,& nondum credunt Turcos tam proximos. Ludoicus rex Vngariæ Trepconem mittit ad ſocerum ſuum Sigiſmundum Poloniæ regem,ſed egenus nihil impetrat. Comitia Budæ celebrat,ad quæ Albertus Brandeburgicus (*cui Ludoicus maximè commendatus*) Marchio non vocatur: & quia quotidiè Turca magis appropinquat, contributionem ſatis negligenter Vngari conferunt, milites conſcribunt, Paulus Tomori monachus verò thraſonico ingenio præditus, eligitur archidux militum, & vt ei autoritas accedat ſalutatur epiſcopus Colocienſis. Paulus exercitum 25000. militum non vult educere contra Turcos, niſi rex ipſe vnà eat: Ludoicus vxorem Mariam Poſonium remittit,& cum militibus ſuis iter ingreditur. Dum portas exit equus titubat ita, vt Ludoicum ferè deieciſſet ex Ephippio: Vngari verò tanta læticia exeunt, ac ſi ad nuptias pergerent. Georgius Zepuſienſis (*al. Zepuſius*) ſuas copias 1526

Securitas Vngarorũ.

Exercitus contra Turcos.

Z Vnga-

Vngaricis addit: Vngari hunc volunt ducem repudiato Paulo: eò quod Franciſcus Perenus Epiſcopus VVaradini dicebat: Iſte Paulus conuertet gentes ita, vt nouum feſtum 300000. martyrum in Calendarium referendũ fuerit. Aſt Zepuſienſis nunquam gladium in hoſtem vibrauerat, Paulus cucullum non clypeum, ſphærulas precatorias non globos in hoſtem emittere didicerat: Rei ignarus militiæ huc illuc à ſuis rapitur: Ambroſius Saracanus poſcit ſibi 600. equites, vt tranſitum ad Drauum cuſtodire poſſit, ne Turci traijciant. Paulus dicit exercitum non diuidendum. Verùm vbi plures conſulunt, & nullum conſilium in actum perducitur, omnis impenſa perit, quid multis? Cladibus irruimus, nocituraq; poſcimus arma. Dum hi conſultant & rixantur, Turca agit: venitur vſq; ad Mogacium, coquus adit Ludoicum regem, & quærit: Domine vbi vis tibi parare cœnam? reſpondet ille: Dominus qui in altis habitat nouit an, & vbi cœnaturi ſimus: vſque adeo mens præſaga mali: Vngari iras concipiunt in regem tanquam exercitum ſuo exemplo exanimantem. Aſt interim Solymanus aciem inſtruxerat: Paulus idem facit 29. Augusti Ibrahim-Baſſa primus impetum facit, bombardas exonerat, clamorem excitat: Vngari fumo viſo, & clamore audito terga vertunt, ne in cœno cœnare opus ſit. Sileſij & Moraui, quia relinquuntur ab Vngaris (*qui in comitiis nolebant exterorum auxilia, vt qui ſoli Turcos vel ſobrij*) cadunt. aiunt 15000. Chriſtianos hoc prælio cecidiſſe. Pauli caput Solymano offertur: Georgius Zepuſienſis cum Ladiſlao Archiepiſcopo Strigonienſi (*qui verè Nabal ære diffluens ne 100. floren. voluerat regi ſuo mutuò dare*) vndis Danubij ſe committit, hoſpitium in Euxino Ponto quæſiturus, & cum piſcibus cœnaturus: occiſorum capita in V-

Pugna Mogazenſis.

in vnum aceruum congeruntur, & comburuntur. Ludoicus rex nuſpiam inuenitur, diligentiſſimè quæſitus (*Zettericius ſolus ſciebat vbi eſſet ſuo tempore inueniendus*) 3. Septembris Solymanus Budam vrbem ab Vngaris relictam ingreditur, monſtratur ei in arce effigies Ludoici, & Mariæ coniugum (*quas ſine lacrymis aſpicere non potuit*) auferuntur tres columnæ ex Crichalco fuſæ, Iconem Herculis, Apollinis & Dianæ referentes: Vrbs, Neandro referente, incenditur, & conflagrat regia Bibliotheca Huniadis, & receditur in Seruiam in hyberna. **Buda.**

GraſſanteVngarICas TVrCa VICtore per oras
FIt præDæ CæCIs regIa BVDa GetIs.

Maria mœſta vidua iubet maritum (*quia hoſtis iam abierat*) quærere, Zettericius Sileſius, (*qui eum viderat curis armisque grauatum cum equo ſubmergi, & liberare non potuerat, præſertim cum exſpiraſſe eum viderat, & proinde in cœnum altius immerſerat, ne à Turcis inueniretur*) eum ex cœno, (*in quo per aliquot dies iacuerat*) extrahit, lauat, vngit, & Albæ-regali ſepelit. Hic Ludoicus verè ad miſerias in miſerijs natus dicitur. Natus eſt enim ſine cute, & proinde cutis ei arte medica facta. Coronatus eſt ante iuſtum tempus, vtpote biennis: præcoci fuit ingenio ſed ad bella non apto: voce virili ante ætatem Baſſum canens multos alios ſuperauit; barbam ante iuſtam ætatem adeoque 17. anno ætatis canos in capite, & barba aluit: 13. anno ætatis vxorem duxit: 20. anno in cœno expirauit in conflictu, quando cum Solymano iuuene 27. annorum commiſit prælium. **Ludoicus rex requiritur.**

In eius locum Ferdinandus Archidux Auſtriæ rex Vngariæ creatur. 20. Maij ex Sileſia in Boëmiam pergit, vt homagium accipiat, & Budam recuperet. Proceres Vngarici

rici

rici Ferdinando non satis fidentes, Iohannem Zepusiensem VVeiuodam Transyluaniæ suam operam satis magnificè offerentem, Regem Vngariæ contra Ferdinandum salutant, per Paulum Episcopum Strigoniensem, & Brodoricum episcopum Vazianum coronant Budæ.

1528 *Turcorum auxilium imploratur.* Ferdinandus aduersarium suum, vt decet, quærit & ingentem exercitum Budam ducit. VVeiuoda fugit ex vrbe in Poloniam, & Hieronymo Lascio autore, ad Solymanum, imò ipse *(Laski)* Lascius ad Solymanum proficiscitur, vt certò impetret auxilia. Ferdinandus Oberdanscum etiam Constantinopolim mittit donis onustum, & petit ne Turca se huic negotio immisceat. Sulthanus sibi leges præscribi hoc legato prætendens, ocyus vel complosione pedum, totam Thraciam milite replet, & sua celeritate vsus *Buda.* Budam attingit: ciues fugiunt, & vrbem arcemq; hosti apertam relinquunt. Solymanus verò vlterius *Vngaria.* hostem Ferdinandum quærit Blindeburgum, Granum, Dotis, Comorram & Altenburgum partim vi, partim proditione Episcopi Strigonensis occupat.

1529 Subsequenti anno iter cœptum continuat, ast pluuijs, & Danubij exundationibus periculosissimis contra spem & opinionem suam cogitur subsistere ad Verthen *Vienna obsidetur.* montem. 13. Septembris *Viennam* Austriæ attingit cum 300000. Turcis, ac Tataris: vrbem quinq; in locis obsidet (*Nam Ibrahim-Bassa montem antiquæ arcis: Beram-begus ad D. Vlrici: Micalogli ad montem templi S. Viti: Ianizarorũ Aga ad Scottorum portam: Solymanus ipse ad S. Marci templum castra sua locat*) 10000. senes, matronæ, virgines, infantes & Sacerdotes clam ex vrbe emissi in sylua vicina à Tataris 25. Septembris intercipiuntur, capita eorum circa muros eriguntur hastis. Oppugnatio inchoatur, imber sagittarum plateas omnes

omnes tegit, aditus quæritur per ſubterraneos cuniculos: obſeſſi erumpunt aliquoties, ſed diſſimili fortuna. Ibrahim-Baſſa propius ad muros accedens ægrè euadit: & quia arietes non habent Baſſæ Ianizaros & Turcos gladijs & fuſtibus cogunt ſarmenta colligere, foſſas replere, & muros conſcẽdere *(id quod de turri S. Stephani optimè videri potuit)* magno labore pars muri ad D. Claram deijcitur, ſed obſeſſi ciues viriliter hoſtem repellunt, & ruinam reſtituunt 12. Octobris ad Carinthiæ portam alia pars muri deijcitur, aſt nullo cum commodo Turcorum. 14. Octobris ſignifer antea captus, iam aurea veſte donatus, liber in vrbem remittitur, ſi hac calliditate porta aperiatur. Quia verò Baſſæ vident actum agi deficientibus arietibus 15. Octobris noctu abit Solymanus, & abducit 60000. captiuos Chriſtianos, & vt tutior abeat Ibrahim-baſſa ad vrbem manet per nouem dies 17. Octobris altera pars exercitus abit cum Baſſis 24. Octobris reliquiæ abitum parant, ſed à ciuibus erumpentibus plurimi eorum cæduntur. Hinc magno cum gaudio DEO gratias agunt, pro hac liberatione.

Cæſar In ItaLIaM VenIt qVo CaroLVs anno
CInCta eſt RIphæIs noſtra VIenna getIs.

Aliud.

Gens aCrI CIngIt pharetrata Cohorte ViennaM:
SentIt at AVſtrIaCos non CarVIſſe VIrIs.

Hoc tempore D. Lutherus publicauit ſuum libellum de bello Turcico, Tom. 4. Ienenſi, f. 431. & ſermonem bellicum *(ſeu claſſicum)* qui extat eodem Tom. f. 472.

DEVS Turcam educit in Eubœam ad ſedandos Baſſas ſeditioſos, & inſulam recuperandam, & Auguſtæ in comitijs veritatem cœleſtem exhiberi curat Carolo V. Imperatori. 1530

tori. Nam Augustæ exhibetur Augustana confessio (*quam Lutherus Germanicè præscripsit, & D. Christian Beyer legit in corona procerum imperij: quam Philippus, & Brentius latinè reddiderunt, & per D. Georgium Pontanum Carolo exhibuerunt*) protestantium principum, & Theologorum (*quos Carolus V. primus sic vocauit in comitiis Spiræ 1529. eò quod contra decretum Pontificis protestati essent*) Apologia verò confessionis ad manus Caroli non peruenit.

QVæ sIt Certa FIDes ratIo qVæ Certa saLVtIs,
PorrIgItVr sCrIpto CaroLe DIc tIbI.

1531 Antiquus Draco aliam viam ingreditur, vt turbet elucescentem lucem Euangelij, & excitat Vlricum Zvvinglium, qui vtroque gladio politico, & Ecclesiastico coniuncto conatus est suum propagare dogma; ast

OCCVbVIt patrIo beLLator CnIgLIVs ense,
Et pressa est arMIs gens popVLosa sVIs.

Beza de ipso sic scribit:

Cinglius arderet gemino cum sanctus amore
Nempe DEI inprimis: deinde etiam patriæ.
Dicitur in solidum se deuouisse duobus:
Nempe DEO inprimis, deinde etiam patriæ.
Quam bene persoluit simul istis vota duobus!
Pro patria exanimis pro pietate cinis.

Ratisbona. Carolus hoc ipso anno Ratisbonam ex Belgio redit & quia protestantibus autonomiam, & generale concilium promittit, etiam ab ijsdem auxilia contra Turcos impetrat. Quapropter 7. Electores, & 24. ciuitates mittunt 100000. milites & tributum promissum, qui Budam pergunt.

1532 Solymanus iamdudum hæc resciuerat, quare circa Mogacium iter flectit, & ad sinistram declinans, Albam Regalem

galem prӕterit: inde Gesthe monte superato cum Papam oppidum munitissimum oppugnasset, *Guntzum* vrbem ad Gonasum fl. limitibus Austriӕ proximam, sed munitissimam obsidet, vt nimirum liberum iter hac ratione in Austriam ex Rascia habeat. Ast cum per 29. dies muros vrbis tredecies oppugnasset, & tamen viriliter à Nicolao Iurischitz repelleretur, mutato animo in Persiam iter reflectit: prӕcipuè quando Carolum audit propius accedere cum ingentibus copijs: & tamen ne Christianis quies relinqueretur, aut Turcica vis minuta, aut Mahometici metuere viderentur aduentum eorum, Cason-bassam (*al. Casanum al. Casonum*) cum 15000. Turcis illic loci relinquit. *Guntz.*

Casonus audiens Viennӕ confluere Christianos eam vrbem, vt iam ante tentatam, & nunc magis munitam ad dextram relinquit, & rectà ad Anisum fl. vsque excurrit, Fridericus (*aliis Philippus*) Palatinus summus Dux 200000. Christianorum Casonis exercitum partim obrutum cӕdit: Carolus qui Aredatam (*al. Lintium Lintz*) nuperrimè attigerat, Casonum ad vrbis agros vsque populabundum penetrasse sentiens, Vienna vocat Palatinum, qui 17. Septembris Casonum victum in fugam conijcit.

In Asia verò Sophi Persicus, Solymani aduentum resciuerat, quare ei in Armenia occurrit, & antequam copias coniungat, Constantinopolim repellit.

Hariadenus Mitylenӕus cognomine Barbarossa Algerij prӕses, ingenti classe in Africam iuxta littus mediterranei nauigat, & Tuneti Metropolim regno homonymam callidè adit, & pacem simulans vrbem intrat, obuia quӕque tollit ferro & flammis, Regem & filium occidit: Muleasses alter filius in Hispaniam fugit ad Carolum V. & auxilia quӕrit. 1533 *Tunetum.*

Soly-

1534 Solymanus Barbarossam pro isto officio, quod Punicum regnum Turcico iugo subiecerat, nouis honoribus ornat, & Visiro-bassam Africæ littoralis seu Barbariæ constituit, vt cò magis studeat plura regna in Africa sibi subijcere. Erat enim hoc primum regnum quod Turci in Africa occuparunt.

1535 Mendax autem & homicida ille ab initio, nouas turbas excitat, contra illucescentem veritatem Christi, per Hans Leiden Sartorem, & pseudoregem, Herm Stapred institorem, Bernhardum Rothman Theologum, Bernhardum Knipperdolling Consulem, Gebhardum Kippenbrugen Senatorem, Iohannem Tausentschevvr pseudoprophetam, & id genus Anabaptistarum Monasteriensium, quorum historia nota ex Sleidano.

Dum Solymanus Thamaso (*al. Thomæ*) Persarum Regulo Mesopotamiam, Assyriam & Babyloniam adimit. Carolus V. in Africam nauigat 16. Iunij Tunetum (*al. Carthago*) oppugnat 21. Iulij expugnatam sibi subijcit. Hinc Barbarossam ad Goletam cædit, & reliquis regni Tunctani locis deditione occupatis, Muleassen, vt Vasallum, & tributarium suum Tunetano regno præficit, & in Europam victor reuertitur.

Carolus Tunetum expugnat.

CæsarIs horrIfICos speCtat Cartago trIVMphos
Et neCe pVnItVr reX Anabapta noVa.

Hoc ipso anno & *Germanica Biblia* in Germania per Lutherum publicantur.

1536 Solymani classis in Apuliam mittitur, consilio Barbarossæ Siciliam captantis pro Carthagine. Veneti fœde-
1537 ribus non satis fidentes, classem suam armatam ad Corcyram Duce Andrea d' Oria (*al. Andrea Doria al. Andrea de Auria*) mittunt, si Turci quicquam hostile tentent. Turci verò piraticam exercent. Dum

Dum igitur hæc in mari parantur, & Bassæ Turcici terrâ Moldauiam suo Sultano subijciunt, Ferdinandus *Moldauia.*
8000. equitibus, & 16000. peditibus stipatus Turcos ex *Possega* id est, territorio Temesiensi, & vicinis propulsurus in Vngariam proficiscitur. Ast circa Quinqueecclesias concurrit Turcus, & Christianus miles, Turcicus vincit, & præter opima spolia etiam 6000.(al.600.) Christianos in captiuitatem abducit.

Andreas D'Oria classiarius Venetus 12. naues Turco- 1538
rum hostiliter palantes obruit, cruentam victoriam obtinet, & naues reliquas incendit. Barbarossa vim suam conuertit in Venetos, vt fœderis violatores, & pariter in Carolum V. Quare Castro vrbs Calabriæ maritima crudeli- *Castro.*
ter diripitur, Venetorum classis petitur, certatur velitari prælio. Quamobrem Veneti bellum pro pace arripiunt, Hieronymum Pesaro alia classe instruunt, qui *Scardonam Obroazzo, & Ostrouizzo,* Turcicas vrbes in Dalmatia sitas, diripit. Classis autem Turcica Caneam Cretæ vrbem occupat Ericusam exurit, & circa Velonam, Hydruntum recuperatura naufragio perit.

Barbarossa noua classe Turcica instructus redit in A- 1539
driaticum, seu Venedicum sinum, Nouocastellum Dalmatiæ expugnat.

Veneti tot cladibus fracti, & cum Imperatore Romano non consentientes, Laurentium Gritti (*qui Constantinopoli educatus fuit*) mittunt ad Solymanum: Hoc defuncto Thomam Contarinum mittunt, qui nihil impetrare potuit, tandem Ludoicum Badoer Constantinopolim (*nuper incendio ad carcerem publicum exorto laceratam*) mittunt, qui duris conditionibus pacem à Solymano impertrauit.

Iohannes comes Zepusiensis VVeiuoda Transyluaniæ 1540

moritur: Iſabella vidua (*filia Sigiſmundi Poloniæ regis*) filium Iohannem 7. Iulij natum conatur ſubſtituere defuncto patri Iohanni. Quia verò ſibi metuit à Ferdinando, legatos ad Solymanum mittit, petit vt tutelam viduæ, & pupilli ſuſcipiat. Interim Albæ-regali maritum defunctum ſepelit, & infantem coronat, conſilio procerum Vngariæ.

Ferdinandus Hieronymum Laski etiam Conſtantinopolim mittit, eique omnem rem exponit (*at Laski in carcerem abducitur*) Mox & Nicolaum comitem Salmenſem mittit ad Iſabellam, promittitque infanti comitatum Zepuſienſem: Iſabellæ verò regiam dotem, ſi Vngariam reddat. Iſabella dilationem negotij petit, prætexens id conſilio Patris Sigiſmundi Regis Poloniæ faciendum. Aſt Nicolaus dolum olfaciens retrocedit, & aduentum Turcorum ſuo regi Ferdinando annunciat, hortaturq; vt Budam occupet, antequam Turci adueniant. Baſſæ verò Turcici, Mahometes, & Vſtrephus vrbem VVezen occupant, & ſpolijs onuſti in hyberna redeunt.

1541 In comitijs VVormatienſibus Ferdinandus auxilium contra Turcos obtinet, & VVilhelmum à Rockendorff mittit, vt Budam occupet: aſt VVilhelmus prius obſidionem parare cogitur. Superueniunt Turci: Rockendorffius in tentorio ſuo epiſtolam exarans inter ſcribendam magno globo feritur: 3000. Chriſtiani cadunt. Baſſæ *Pe-*
Peſt. *ſtum* vi expugnant, 20000. deditionem facientes crudeliter trucidant: Solymanus ipſe ſubſequitur, & quia fœtor cadauerũ ei aduerſatur, vlterius pergit verſus *Strigonium* ibique ſua caſtra, vt loco puriore, locat. Adducuntur ei 60. captiui, inter quos vnus procerior corpore Bauarus (*al. Noricus*) natione. Hunc inermem, & manibus vinctum pumilioni ſuo committit (*riſus excitandi gratia*)

tia) vt occidat: pumilio tibias & crura Gigantis pluribus ictibus ferit donec succumberet, iacenti caput vix vigesimo ictu abscindit, & Solymanno offert: mox & reliqui 59. dissecantur à Satrapis.

Hinc denuo concurrunt Turci,& Christiani. Turci victoriam optatissimam reportant: Christiani ferè omnes, vt,qui potius mori,quàm in captiuitatē abduci volebant, cadunt acie gladij. Cum igitur Budam ab obsidione liberasset; Isabella proceres ad Solymanum mittit, & gratias agit pro liberatione. Solymanus Iohanni Zepusiensi mittit tres equos VVallachos pretiosissimis honorarijs onustos,adeoq; singulis Vngaricis proceribus vestes purpura & auro contextas & petit vt Isabella Iohannē filiolum in castra mittat:se enim nō posse discedere nisi prius osculatus fuerit Iohannem. Vidua exanimata cōsilio procerum mittit filium suū: Solymanus eum osculo excipit, & quia plorando plorat,filijs suis Selymo & Baiazeti eum tradit, vt motu brachiorum sedent eius eiulationem: proceres ad prandium sumendum retinentur: indulgetur genio, aliquot Ianizari vrbem ingrediuntur, vt nunquam antea visam, redeunt,& gloriantur de eius præstantia, & alios secum adducunt, quasi monstraturi illis vrbem: sed hoc dolo ferè tota vrbs Turcis oppletur: Templum D. Mariæ sacrum vastatur, ara, suggesto, & baptisterio destructo, signum Turcicum de turri templi D. Mariæ suspenditur: Solymanus signum videns epulas interrumpit, Vrbem, comitantibus eum Proceribus Vngariæ ingreditur, prætendens se filium Matri restituturum. Mox intrat templum, quod sibi præparari iusserat destructa ara, & DEO gratias agit pro hac victoria: Inde arcem ingreditur, Isabellam vocat, filium reddit, iubet-

Buda capta.

 que

que vt cum eo Lippiam eat, vbi tutior esset, & patri vicinior: testaturque necessarium esse, vt Buda Turcis tradatur: se enim citius posse ibi ipsis opem ferre contra Ferdinandum & alios hostes. Hæc facta dicuntur 29. & 30. Augusti. Quo animo vidua cum filio, & consiliarijs suis Proceribus Vngariæ exiuerit, cordatus quisque facile intelliget. Buda Turcicis præsidijs munitur.

LVX oCtaVa pIgrI SepteMbrIs ab orbe fLVebat
TVrCa VbI Pestanas CorrIpIt aCer opes.

Nam 8. Septembris & Pestum occupauit & ita Budam totam in hunc vsque diem plenariè occupat.

Ferdinandus hoc sentiens honoraria Solymano mittit amplissima (*inter quæ automatum argenteum, quod spacia horarum, motus siderum, aspectus planetarum exactissima ratione indicabat*) & pacem ab illo petit. Sultanus & Turcici proceres obstupescunt ad automati considerationem, quod artifex ipse exhibebat, & librum addebat, qui doceret, quomodo singula regenda, & corrigenda, si corrumpantur. Solymanus tandem respondet: pacem inibo cum tuo rege & pro hoc admirando dono vt gratus sim tolerabile tributum mihi soluet Austria quotannis: Vngaria autem mihi iure debetur, vt pro qua toties tantum iter perfeci, vocatus liberare pressos à tuo Domino. Quapropter ex Vngaria nunquam recedam, sique tuus Rex eam mihi non concedet vt stipendium debitum, vi & armis mihi subijciam. Hæc vbi dicta dedit pretiosis vestibus ornatos legatos ad Ferdinandum remittit.

Post abitum legatorum Solymanus egregium Ianizarum Solyman-begum (*olim ex Vngaria cum captiuis raptum, & in Mahometismo educatum*) constituit, primum Bassam-Budanum, & inde Belgradum rediens, Hieronymum Laski ex car-

ex carcere retractum in Vngariam dimittit, constitutoq; nouo Bassa-Belgradi in Thraciam se recipit. Ferdinandus responsum Solymani proceribus Christianorum reuelat. Carolus V. interea in Africam eduxerat classem, & 23. Octobris, Algieram vrbem oppugnare cœperat, sed partim imbre telorum hostium, partim aduersis tempestatibus repellitur.

Carolus rediens in Europam Spiræ comitia celebrat. 1542
Ioachimus II. Marchio Brandeburgicus creatur Archidux Christianorum militum, D. Philippus Melanchton epistolam ei mittit, cuius exemplum subijcio.

Joachimo 2. Marchioni Brandeburgensi paranti expeditionem in Vngariam.

ET Reipub. gratulor V.C. mitti ad patriæ, atque huius reipub. defensionem, & V.C. gratulor hanc mentem, quod à DEO auxilium, & salutē petit. Christus ait: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. His freti promissis oremus DEVM propter Christum, & gloriam sui nominis, vt V.C. gubernet, tueatur, ac defendat, & feliciter reducat victores, reiectis ac deletis immanissimis hostibus. Id precari, id orare, & pro nostro imperatore clementissimo atq; optimo principe, & pro V.C. & pro vniuerso exercitu, conuenit. Etenim cum omnes omnium gentium historias, populorum mores, militiam, domesticam aut castrensem disciplinam, res gestas atque imperia colligo & considero, inuenio nullam nationem extitisse, in qua plus fuerit impietatis, crudelitatis, flagitiosarum libidinum, deniq; immanitatis in omni genere, quàm in Turcis. Alij Reges ac populi ita gesserunt bella, vt postea Respub. legibus, moribus, & religione ornarent.

At Turcæ nullis iustis de caussis bella mouent, gerunt crudelissimè, postquam vicerunt, religiones, bonos mores, & totam ciuilem disciplinam tollunt, & deuictis nationes ad miserrimam, ac fœdam seruitutem redigunt. Itaque sciat C. V. bellum iure & mandato DEI, tanquam aduersus sæuissimos homines gerendum esse. Ipsi enim iam inferunt bellum tot seculis, & in lege sua Mahometica id profitentur, se hostes esse omnium gentium. Itaque tanquam latrones depelli debent. Magna consolatio est, quod mandato DEI cogamur illos depellere. Hac consolatione confirmet se C. V. & meminerit DEVM adiuuare nos cum ea gerimus, quæ iussit nos, vt ait Dauid: Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet. Sed nolo esse prolixior, extant enim libelli de hac re diligenter, & accuratè scripti, & lectu vtiles.

(*Quibus verbis sine dubio Philippus nos etiam remittit ad Lutheri scripta anno* 1529. *edita.*) Huic epistolæ addant studiosi elegiam Sabini libro 4. Eleg. 2. Quid Lutherus hoc tempore egerit in hac caussa, testantur eius epistolæ Tom. VII. Ienensi, fol. 392. & Tomo VIII. fol. 186. quibus hortatur pastores, vt orationem contra Turcos, & excitationes ad resipiscentiam omni Zelo vrgeant: & Tomo 7. fol. 450. Rationes, causas, & modum precandi contra Turcos præscribit. Sed ad historiam redeo.

Pest. Ioachimus II. Marchio Brandeburgensis educit 30000. pedites, & 7000. equites in Vngariam, Pestum oppugnat, Turcos viriliter hinc inde cædit, & spolia aufert.

Mauritius Dux Saxonicus 21. annorum (*qui propriis sumtibus in Vngariam iuerat*) incautius in Vngaria obequitans cum famulo suo N. à Ribisch nobili Saxonico, incidit in aliquot

aliquot Turcos, hos aggreditur, Ribiſcius comitatur eum, reliqui à longè ſubſequuntur. Turci, vt victi, pedem equo Mauritij amputant, Mauritius cadit in terram, Ribiſcius proſternit ſe ſuper ſuum principem, & excipit ictus Turcorum, donec reliqui equites ſuccurrunt, & Mauritius cæſis Turcis liberatur, Ribiſcius vulneribus plenus expirat.

Solymanus ſentiens Ferdinandum Vngariam nolle per deditionem relinquere Turcicæ coronæ, nouam expeditionem ſuſcipit, vt vi ſibi ſubijciat. Legatos mittit ad Franciſcum I. Galliæ regem, & petit ne ſe bello huic immiſceat, dum Vngariam ſtipendij loco ſibi debitam petat. Gallus reſpondet ſibi nihil negotij eſſe cum illis hæreticis, iubet vt modo veniat (*Hoc fœdus Gallorum cum Turcis A.C. 1553. arctiſſimè eſt confirmatum, & durat in hunc vſq; diem. Quemadmodum & Venetorum pactum cum Turcis 1539. confirmatum, etiamnum durat.*) 1543

Claſſis Turcica milites ſuos ad Macedoniam exponit, quos Achmeth-baſſa recta in Vngariam educit.

Exercitus Turcicus terrâ emiſſus in duas ſe diuidit partes: Vna Danubij ripam, vt ducem ſequitur, & Strigonium expugnat, deditionem facientes contra datam fidem necat, Virgines & matronas ſtupratas partim diſſecat, partim in profluentem abijcit cum reliquis infantibus, & ſenioribus & clericis. *Gran.*

Altera pars Quinqueccleſias & Albam-regalem expugnat, deditionem qui faciebant in apricum ducuntur tanquam ad homagium præſtandum, & ſtatim à circũſtantib. Turcis crudeliſſimè trucidãtur, virgines & adoleſcentes generoſiores in Turciam abducuntur. Tatarus quidam deprehenſus eſt in obſidione huius vrbis, qui in pera ſua *Stulweiſſenburg.*

dimi-

dimidium infantem bimulum habuit, & vnam medietatem forsan crudam paulo ante deuorauit.

FortIs & eXtreMæ VeraX ætatIs ELIas
1546 *CeLsa pIVs CœLI teCta LVthere sVbIs.*

18. Febr. die Concordiæ sub initium concilij Tridentini, & belli Germanici.

1547 Solymanus annum iam vnum quieuerat, vt vires recolligeret, sed vocatur in Persiam à fratre Sophi Persarum. Hoc bellum eò libentius suscipit, quod frater cum fratre dimicabat: Arces & vrbem VVan, & VVastan ad Armeniæ limites occupat.

1548 Ferdinandus autem à Turcis in Persiam euntibus, inducias ad quinquennium emit.

1549 Muleasses rex Tuneti (*Carthaginis nouæ*) à filio suo exoculatus Augustam ad comitia fugit.

1550 Dragutes classiarius Turcicus Aphricam (*al. Aphrodisium al. Leptim*) & Monasterij occupat. Sed Andreas D'Oria, sequenti anno easdem vrbes Aphricæ recuperat, & Dragutes Constantinopolim vsq; fugatur virtute Iohannis VVegæ, qui eum insecutus est, & in reditu Tripolim Turcis 10. Septembris ademit. Andreas verò Aphricam littoralem gladio & flamma vastat, ne Turcis receptaculum vllum vlterius relinquatur.

Solymanus duos exercitus emittit, vnum terrâ alterum mari. Classem quidem mittit vt Maltam, Siciliam, & Hispaniam inuadat: Exercitum alterum in Vngariam Austriam, Boëmiam, ad Germaniam vsq; iubet penetrare.

1551 Malta vehementer concutitur machinis Turcicis sed 18. Septembris re infecta Turci decedunt. Sinan-Bassa verò Tripolim recuperat.

Reliquus exercitus Turcicus, qui terrâ emissus, diuidit se

dit ſe, & vna pars vi viam per Tranſyluaniam ſibi faciens ad Tibiſci ripamZolnoc arci, oppoſitam nouum caſtellum ædificat, ex quo Vngariam ſuperiorem inuadat Zolnoco expugnato (*Hæc eſt illa fides, hic eſt mos ſeruandi pacem, & inducias quinquennales. Culpa adſcribitur regi Galliæ, qui tamen ſe excuſauit.*)

Iohannes VVeiuoda cum matre Iſabella ad Ferdinandum deficit, eique Tranſyluaniam ſe traditurum pollicetur, ſi exiguis copijs iuuetur. Ferdinandus mittit Iohannem Baptiſtam Caſtaldum Italum, qui cum Iſabella & Iohanne hoc modo tranſegit, vt Ferdinando Tranſyluaniam ſponte cederet, & viciſſim Caſſouium itemq; vicies quinquies mille aureos ex ducatu Opolienſi annuos perciperet. Turci hanc permutationem ægerrimè ferunt, & à Temeſio depulſi nouas copias colligunt. Epiſcopus VVaradini Caſtaldo iubente per ſicarios occiditur, eò quod Turcis magis faueret, quàm Chriſtianis. *Tranſyluania.*

Acomathes-baſſa Temeſium ſecundò obſidet, & tandem ad deditionem cogit.

Hali-baſſa Zolnocum vi occupat.

Tandem *Erſam* etiam obſidet, ſed partim virtute ciuium, partim violentia frigoris repelluntur Turci in hyberna.

Henricus II. Rex Galliæ bello cum Carolo V. implicatus, clam Aramontium legatum ſuum, ad Perſiæ limites vſq; ablegat ad Solymanum in Perſia agentem, & petit, vt clam claſſem in Italiam, aut Hiſpaniam mittat, vt Carolus ad ſua defendenda auocetur. Aramontio claſſis Turcica datur, quæ cum Gallicis nauibus coniuncta inſulas mediterranei infeſtat. 1552 *Turci inuitantur.*

Mauritius Dux Saxoniæ, ſummus Dux exercitus ab imperio declaratus in Vngariam proficiſcitur cum copijs

 Chriſtia-

Christianis contra Turcos Agriam iam oppugnantes & totam VVallachiam inferiorem suo Sultano adijcientes. Quia verò Turcica vis maior deprehenditur, quàm sperasset mittitur Antonius Verancius cum Francisco Zay ad Solymanum. Hos legatos Turca vltra triennium secum Constantinopoli detinet, & tandem pacem concedit pactione pensionis annuæ triginta millium aureorum, quam singulis annis Ferdinandus suis sumtibus Constantinopolim mitteret.

Germani fiunt tributarij Turcorũ.

Rossa (*al. Russa, id est, Rhutenica quia filia Rusici ducis*) vxor Solymani priuignum suum Mustapham (*vt cui pater regnum tanquam primogenito traditurus*) apud patrem accusat, quasi regnum affectet, & cum Persis coniuret, ac proinde tempestiuè è medio tollendum. Solymanus præ amore non sentiens dolum Rossæ vxoris (*quia suum filium volebat successorem*) statim Mustapham accersit, & læto animo accedentem, vt nihil mali sibi conscium, neruo arcus suffocat, & insuper ipsius filium, suum nepotem Amurathem. Giangir videns iniquum fratris supplicium, suo pugione seipsum iugulat, ne simili modo olim etiam tollatur à fratre Selymo. Neque verò Rossa satiata hoc modo, sed & vlterius omnes neruos intendit, vt discordes reddat fratres, Selymum & Baiazeten, vt Selymus solus successor supersit, vt suo loco dicetur.

1554 Classis Turcica, ad postulata Regis Galliæ venit in Tyrrhenum æquor, insulas Elbam, Corsicam, Gerben & Maiorcam hostiliter inuadit, donec tandem pax inter Carolum V. & Gallum facta.

Turcici autem latrones ægrè ferentes reconciliationem hostium, nihilominus hostiliter grassantur circa Siciliam & Calabriam.

Pan-

Pandulphus Contarinus cum classe Veneta limites custodiens incidit in Bassam Callipolitanum (*qui superiori anno naues Venetorum diripuerat*) & vindictæ cupidus inuadit Turcos, eosq; cædit, & Dyrrhachium diripit.

Bassa verò recolligit vires, Plumbin & Elbam Insu- 1555
las, Florentinis subditas, occupat, simulq; literas ad Solymanum mittit, quibus hortatur, vt arma sumat, contra fœdifragos Venetos.

Corsica à Turcis denuo vehementer laceratur: Papa 1556
tributum colligit vt Turcis resistatur: Iudæos egregiè argento emungit, & bona eorum in arresto detinet. Quare Solymanus supplicationibus Iudæorum motus in hunc modum scribit Pontifici.

Solymanus Sultanus Cæsar potentissimus inter Cæsares, filius Selymi Cæsaris Cæsarum, cui DEVS æternam det victoriam, Papæ Paulo IIII. S.

EXcellentissime & potentissime Domine, de genere Messiæ Iesu, princeps & Dominator Romane, Dominus omnipotens te custodiat. Vbi acceperis sigillũ meum cognosces ex meis literis, Ebræos quosdam venisse ad me, qui conqueruntur se nimijs exactionibus à te expilari, quando negotiandi causa Anconam veniunt. Hoc oneris, vt ab eis tollas, & bona eorum ipsis restituas, vt mihi tributum debitum soluere porrò possint, peto. Si, quod spero, feceris, fauorem nostrum senties. Vale, ex Constantinopoli die vltimo Benedicti mensis Rambelachi, anno Mahometi nostri, 964. (*id est nono Martij A. C. 1556.*)

In Vngaria interim Hali-bassa, circa Paschatos ferias Drauo superato Zygethum vehemẽter oppugnat simulq; *Zygeth.*

& Babozam ad Stiriæ limites. Nicolaus Polvviler à Ferdinando missus Turcos vt abigat, cum Bali-bassa congre-
Pugna ad Babotz. ditur ad Babozam, & victoriam cum Nicolao comite Serinensi obtinet. Quare vterque Nicolaus eques auratus creatur cum multis alijs, qui egregiè in hoc prælio se viros præstiterant. Marcus Horvvath præses Zygethi Turcos profugos ad Quinqueecclesias cædit, & spolijs onustus redit ad suos. Adam Gall Iaurini præses ad Strigonium Turcos etiam cædit, & spolia ampla refert. Excitabantur enim nouis honoribus à rege collatis.

Turci inuitantur. Galliarum Rex cum Philippo rege Hispaniarum belligerans Michaëlem Codignac legatum ad Solymanum mittit, vt Christianos inuadat, ne Philippo succurrant. Ast Michaël quia insolentius Sultanum alloquitur parum impetrat: nihilominus tamen Solymanus odio in Christianos antiquo flagrans, piratas aliquot emittit, qui Caietam, & Neapolim hostiliter adoriuntur, dum Philippus cum Gallo ad Sanquintinum præliatur.

1558 Rossa non quiescens luctificam Alecto dirarum ab sede sororum excitat, & odium inter Selymum suum filium, & Baiazeten priuignum suum, seminatum ad maturitatem perducit. Cruento enim prælio victus Baiazetes ad Sophi Regem Persiæ confugit. Pater autem eum per Bassas suos blandè reuocatum neruo suffocari iubet.

1559 Philippus Hispaniæ rex, Caroli V. filius colligit clas-
1560 sem, Gerben Insulam recuperaturus, & 1560. 16. Aprilis feliciter obtinet. Ast Draguthes-Rays-bassa 13. Maij Hispanos triumphabundos, & securè lætos ex improuiso obruit, Gerben Insulam, & nouam arcem longa obsidione domitam, recuperat.

In Vngaria autem Turci Filekum *(al. Filleck)* suo Sultano subijciunt.

Hiſpanus per claſſiarium ſuum conatur Gerben recu- 1561
perare, ſed tempeſtatum vi repellitur.

23. Nouembris Ibrahim-Baſſa *(al. Abraham Strozzapolonus)* legatus Solymani Francofurtum ad comitia *(in quibus* Francfort. *Maximilianus coronabatur rex Romanus)* venit cum 60. comitibus, & etſi ſerius accedens ſub tertiam horam noctis intromittitur, & inde occultam iram in Germanos concipit: Tamen tanta ei conceditur licentia vt per ſubſequentes dies omnia in vrbe liberè contemplaretur. 1562

27. Nouembris Ibrahim-baſſa auditur in corona procerum, petitque pacem octennem *(ſed doloſè vt ſequentia docebunt.)*

2. Decembris Ferdinando donat equum Turcicum honorarijs onuſtum, & pretioſè exornatum, pariterque canem, & duos camelos, arcum & ſagittas, duas item virides, & duas rubras haſtas Turcicas, & pace impetrata redit in Turciam.

Melchior Balas, nomine Maximiliani regis Vngariæ, 1563
aliquot oppida ad limites Tranſyluaniæ occupat, ſi Budam vel Temeſium ſuo tempore poſſit recuperare: præcipuè quando audit Turcos recipere arma: Iccirco Melchior potius præuenire voluit vt qui iam experientia edoctus, Turcos violatores eſſe fidei, & prætextu pacis ſe collocupletare. Iohannes VVeiuoda Tranſyluaniæ Debretznen arcem, nuper Melchiori à Maximiliano donatam diripit, incenditq;, & à Solymano 4000. Turcos, & 3000. VVallachos impetrat contra Melchiorem.

Lazarus à Suendij nobilis Sueuus cum 2000. Chriſtia- 1564
nis in Tranſyluaniam mittitur, vt Melchiori ſuccurrat: &
4. Februarij arcem Tockai *(al. Doggæum)* obſidione cingit, Tockey.
& ſub initium Martij deditione accipit.

Interea Marcus Lilinesius à Solymano ad Maximilianum mittitur, monetque ne violet pacem. Sed dum de pace Viennæ transigitur, Turci ipso facto contrarium probant. Bassa Temesiensis enim tria castella circa Iulam occupat, videlicet Pankoto, Sene, & Desme. Zygethenses vindicaturi damnum, Rasciam inuadunt, & spolijs se ditant.

In VValachia Iacobus Heraclides Basilicus Despota Sami (*qui VVallachiam ante biennium Alexandro pulso, auxilijs Alberti à Lasco, occupauerat*) à coniuratis, Tonissa & alijs trucidatur, & Visniouecius dux in VVallachia captus, postea Constantinopoli vnco appensus: & hoc 1564. anno Alexander tyrannus iterum in VVallachiam Turcicis auxilijs est restitutus.

Despota Vt est CæsVs VIsnoVeCIVsqVe tyrannVs
RVrsVs ALeXanDer VLaChICa regna regIt.

1565 Turci *Erdenam* expugnant, dum Suendius febri laborat. Cernouitius legatus Maximiliani redit Constantinopoli Viennam, & testatur Turcos prætextu pacis, quam videbantur vrgere, nihil nisi bellum quærere, & Sultanum dixisse: Vngariam sibi deberi, & proinde se contra pacis articulos nihil suscipere.

Fiunt vtrinque præparationes ad bellum, Bassa-Bossinus (*al. Bassa-Bosnæ*) amissis 5000. Turcis in fugam conijcitur à Christianis. Maximilianus *Iaurinum* munit, & Neostadium paulo ante à Turcis præreptum recuperat. Turca terra mariq; copias mittit. Classis Turcica per ducem Mustapham-bassam apud Methonem lustratur, inueniūtur 124. naues maiores in quibus 36000. Turci, & 13000. Mameluci. *Malta* Insula 13. Maij obsidetur: 12. Septembris

Rab.

Malta.

omni-

omnium maximè oppugnatur. Dragutes, qui succurrebat Mustaphæ, occumbit cum multis Turcis, ex Africa adductis. Pialis-bassa ex Asia adducit nouas copias. Iohannes Valetanus Magnus-magister Maltæ, Dux equitum Rhodiensium, seu Iohannitarum, implorat auxilium Pontificis, à quo pecuniam, & Proregis Siciliæ Friderici Tolethani, à quo classem accipit. 6. Septembris Turcis magnam suorum cladem sentientes, & insuper Toletani aduentum olfacientes, 1000. leues milites ad littus relinquunt, qui Toletanum tentent, sed nihil nisi cladem auferentes, discedunt ab insula Malta & Valetanus DEO gratias agit cũ suis equitibus *(qui Rhodienses dicuntur eò quod ex Rhodo hic recepti)* auratis.

Bassa Budanus 6. Iulij cum 8000. Turcis & 25. bombardis magnis *Palottam* obsidet. Georgius Helffensteinius à Maximiliano missus Turcos ab obsidione repellit & Palottam nouis præsidijs munit: Eccius comes à Salm 30. Iunij Vesprinum *(al. VVesprinium)* expugnatione, & 21. Iulij Dotis arcem deditione recipit. 1566

Suendius febri liberatus arcem *Husth* oppugnat. Turci ad Palottam redeunt: Georgius Thuri eos repellit. & Rabam *(al. Iaurinum)* vbi Gallos duce Guisio, & Italos auxilia adferentes, inuenit.

Nicolaus comes Serinensis nuper eques auratus creatus, & præfectus Zygethi constitutus Halam-Sangiacum *(al. Halla SanZiack)* ex insidijs ad Quinqueecclesias obruit, & spolia ampla refert. Solymani prodromi ex improuiso adsunt, hoc factũ vindicaturi, Zygethũ *(in quo Serinensis tantum cũ 12000. parum exercitatũ militib.)* obsidet ita arctè, vt ne tabellarium

rium quidem Serinensis, ad Maximilianum mittere posset, & suam sortem significare.

Quin & in superiori Vngaria ad limites Transyluaniæ, Tatari Præcopitæ Iulam (*al. Guilam al. CZiulam*) obsident: ast Tibisci exundatione vehementi repulsi 50. pagos in discessu incendijs vastant.

29. Augusti Zygethum vehementissimè oppugnant, Serinensis haud siccis oculis Viennam versus aspiciens viriliter Turcos repellit. Si Imperator credidisset rumoribus, & Serinensi subuenisset, aliquid profecisset.

2. Septembris *Iula* à Tataris capitur proditione Ladislai Keretschin, qui tamen proditionis mercedem à Solymano accepit. Ligatis enim manibus in vas vacuum vndequaque cuspidibus clauorum plenum mittitur, & voluta tur donec moriatur, addito elogio: En accipe præmium auaritiæ ac perfidiæ tuæ, Iulam vendidisti auro corruptus: si igitur tuo Maximiliano non es fidelis, nec mihi fidelis fores.

Columba grammatophora

Nicolaus Serinensis columbam sibi grammatophoram (*de quibus aliâs legimus in historiis Italiæ & Africæ*) optasset, si saltem vnicum verbum Maximiliano referre posset.

Mors Solymani.

4. Septembris, Solymanus alui profluuio correptus, ad Quinqueecclesias vitæ, & Tyrannidis finem fecit ætatis 76. regni 46. Mahometis 973. salutis nostræ 1566. Mahometh-Bassa archiatrum cum socijs Pharmacopæis suffocat, ne Sultani mors reueletur, & Ianizari reuocentur à Zygetho. Solymani cadauer solitis vestibus ornat, & in lectica, vt podagra laborantem, sub tentorio erectè sedentem Ianizaris mortem olfacientibus ostendit, hortaturq;

ad con-

ad continuationem expugnationis. 7. Septembris Nicolaus comes Serinensis nulla auxilia ab Imperatore accipiens, & omnibus viribus exhaustus portam aperit, reliquias pulueris nitrati bombardis maioribus in hostem explodit, & magnam stragem edit. Turci succedunt occisis & in ponte Nicolaum viuum capere conantur. Ast Nicolaus Serinensis comes, ad extremum vsque spiritum cum hostibus luctatur, & cadit, caput ei abscinditur, & rubro panno inuolutum Eccio comiti Salmensi dono mittitur, addito epistolio cuius sententia. Mahometh-bassa Eccio à Salm, Salutem. Ecce caput fidelissimi, & maximè strenui tui capitanei tibi in signum amoris mitto: reliquum corpus honestissimè sepeliui, vt tam fortem virum decet. Zygethum autem longum tibi vale dicit. *Serinensis.*

TVrCICVs eXpVgnat SIgethI Castra TyrannVs:

DVX noster fœDIs oCCVbVItqVe getIs.

Interea Itali Rabæ aliquot ædes incendunt *(quo incendio & arx est labefactata)* vt eò melius ditiorum ciuium bona diripere possint, quod 29. Septembris factum aiunt. Quare Eccius à Salm murarios, & pecuniam mittit, vt reædificetur. *Iaurinum exustum.*

Mahometh-Bassa per celeres suos *Selymum* vel ex Caramania *(id est, Cilicia)* Constantinopolim ire iubet: Similiter & Saray-bassæ scribit, vt Selymum solenniter in Sarayo ducat, & imperatorem salutet, quod etiam incredibili celeritate perficitur auxilio Bostangi-bassæ. Zygethum præsidijs Turcicis munitur, & milites ad hyberna reducendi dicuntur *(ideo Mahometes-bassa Sultani mortem celat)* Mahometh-Bassa Solymannum vt viuentem, in lectica erectum sedentem per mulos portat *Belgradum*, asserens eum podagra vehementer laborare, & quia medici de-

functi, magis ad hyberna festinandum, vt alij archiatri consulantur. Ianizari facilè credunt, vt quia iam per aliquot annos Solymanum lectica vehi viderant, & vel saltem eius præsentiam felicem, etiamsi ægrotus, nihil præstare possit viribus corporis, credebant. 20. Octobris Belgradum venitur, Selymus patrem, sed mortuum in lectica sedentem excipit, & quia non fit absque lacrymis adeoq; satellitium Imperatorium adest ex Sarayo, statim à Ianizaris Imperator Turcicus salutatur in locum mortui patris. 22. Nouembris Constantinopolis attingitur, & Solymanus *(qui per 200. al. 230. miliaria mortuus vectus fuerat)* in Moratha hospitali olim à se condito regali pompa sepelitur: Moratha autem nouis reditibus annuis ex comitatu Zygethensi ditatur.

Soboles Solymani
- Mustapha *qui instinctu nouercæ suffocatus.* — Amurathes *qui cum suo patre ab auo Solymano suffocatus.*
- Mahometes *qui in Caramania obijt.*
- Selymus *qui patri successit.*
- Baiazetes *qui studio Alecto nouercæ è medio sublatus cum quatuor liberis.* — Homares, Amurathes, Selymus, Mahometes *qui cum patre sublati ab auo.*
- Iangir *qui gibbosus, vnde & nomen accepit, ad supplicium fratris Mustaphæ obstupescens, seipsum pugione transfodit, dicens: olim etiam me ita tolleret frater, ideo iam gladio moriar, ne neruo ita crudeliter crucier, antequam expirem.*
- Chermeria *quæ Rostano-bassæ (ibrahim-bassæ Viziri successori) copulata.*

Synchroni Solymani
- *Imperatores*
  - Carolus V. 1519. 39.
  - Ferdinandus I. 1558. 7.
  - Maximilianus II. 1564. 12.
- *Pontifices*
  - Leo X. 1513. 9. *al. Iohannes Medices.*
  - Hadrianus 6. 1522. 1.
  - Clemens VII. 1523. 11. *al. Iulius Medices.*
  - Paulus III. 1535. 15.
  - Iulius III. 1550. 5.
  - Marcellus II. 1555. 22. *dies.*
  - Paulus IIII. 1555. 4. *al. Iohan Peter Caraffa.*
  - Pius IIII. 1559. 6.

Ele-

Electores Bran- deburgici.	Ioachimus I. 1499. 35.
	Ioachimus II. 1535. 36.

Iesuitæ à Paulo IIII. *confirmantur circa annum* 1556.

5. SELYMVS SECVNDVS 8.

Quintus VVallachiam Selymus, Cyprumque (subegit.

Selymus eius nominis secundus, filius Solymani, fratribus per matris technas sublatis, vnicus regni hæres, vir 42. annorum, ingenio admodum temerarius, & inconstans, adeoq; totus Veneri, & Libero deditus, vt nunquam ipsemet in castra venerit, adeoque ll. aui sui primus violarit 23. Septembris ex Magnesia vocatus Constantinopoli per Bostangi-Bassam exceptus, & per Sarai-Bassam in Sarayo (*id est palatium regale*) introductus, Imperator à Ianizaris salutatur, 24. Septembris in publicum prodit ornatu imperatorio, & Encam, (*id est psalmum pro morituris*) pro patre suo quasi morituro solenniter recitari curat in templo Sophiæ, sacrificat victimas, gratulationes audit, & in Sarayo reducitur 25. Septembris, Ianizaris per Scander-bassam clam indicat mortem Solymani, honoraria debita distribuit, & auctionem stipendij eis promittit. 26. Septembris fit præparatio ad iter 27. Septembris Constantinopolis relinquitur, & magnis itineribus Belgradum veniunt. Selymus patrem mortuum osculatur & lugubri habitu cum Cadilescheris, Bassis, Begis, & Sangiacis funus comitatur: 22. Nouembris redeunt Constantinopolim, funus solenni pompa obuiam euntium excipitur, de curru ad portam sumitur cadauer, & per Bassas in hospitale Solymani deducitur: sacerdotes & ciues cantu lugubri

funus comitantur, fit concursus hominum, cadauer lauatur, vngitur, thymbo imponitur, & ad latus Cimetæra collocatur (*eò quod in bello vitam finÿsset*) tiara ad verticem bacillo imposita erigitur, cerei duo non accensi ad latera collocantur: sacerdotes suo officio alacriter funguntur: tandem sepulcro imponitur, & adhuc hodie ostenditur. Ad latus etiam ostenditur sepulcrum Rossæ vxoris dilectissimæ, atq; interfectorum filiorũ monumenta. Tandem conuiuium solẽne præbetur proceribus per aliquot dies.

Hinc omnes hortantur Selymum, vt continuet bellum patris in Vngaria, reditus annuos comitatus Zygethi solenniter dedicant Hospitali Solymani, quod post Mahometis II. & Baiazetis II. omnia alia longè superat præstantia ædificij, & abundantia redituum.

Begus Transyluaniæ (*al. Erdel-begus*) omni contione conatur arcem Tockei recuperare, obsidet eam, adducit decem machinas maiores, oppugnat muros, Suendius viriliter repellendo hostes, arcem defendit. Mox nunciatur Tatarorum, & VVallachorum discordia, qui tamen mittebantur Bego in auxilium. Begus igitur relinquit arcem, & prima vice à seditiosis victus, secunda vice recollectis copijs eosdem vincit, & in fugam conijcit.

1567 15. Ianuarij Lazarus à Suendy arcem Zatvvar (*al. Satmar al: Sachmar*) ad Transyluaniæ limites obsidet, & quia obsessi globis ignitis certant, vt pallium Suendij pellibus obductum incenderetur, Vngari Suendio vrgente 26. Ianuarij eam deditione accipiunt. Hinc etiam Mongacium (*al. Muncatz*) & Husth arces diripiunt Begus. Transyluaniæ Selymi auxilium implorat: Portu-bassa, & Begler-begus Romaniæ iubentur exire contra Suendium, quia verò Selymus audit legatos Maximiliani venire, eos reuocat, vt

prius

prius audiat, quid velint. Antonius Verancius Episcopus Erlauiensis, & Christoph à Tirffenbach Baro.

Interim & Suendius reuocatur ne vlterius pergat, & pro violatore pacis habeatur. Turci putant Suendium fatigatum fugere, sequuntur & Risvvan arcem occupant, sed statim à Iohanne Rubero expelluntur rursum.

Legati Maximiliani Constantinopolim veniunt, gra- 1568
tulantur nouo Sultano, dona opima offerunt, pacemque Transyluanus, Vngarus, & Turcus octennem ineunt, hac cõditione, vt quisq; id retineat, quod armis acquisiuerit. Hac ratione Maximilianus spaciũ 40. miliariũ vltra Tibiscũ fl. suæ Vngariæ adiecit, quare certas ob causas omnes arces illic Germanis præsidibus & præsidijs muniuit.

Quin & Veneti pacis continuationem, per suos legatos petunt, sed haud seruatur, quod promittitur.

Nam Selymus exemplo suorum prædecessorum hospi- 1569
tale conditurus Adrianopoli, & in eodem sepulcrum sibi præparaturus, solicitus de reditibus annuis, quibus hospitale sustentetur, Consilio Mustaphæ & Pialis Bassarum pacem cum Venetis initam violat, & Cyprum Insulam omnibus rebus, quibus indigemus ad victum, & amictum abundatissimam inuadere parat. Mahometes-bassa dissuadet & monet, fidem etiam hosti seruandam: Selymus irascitur illi, qui duorum consilijs vnicus contradicere audet, & minatur mortem; sed quia inconstans mutabatur in horas, mutato animo iubet vt Mahometh Bassa, pœnæ loco, primam classem in Cyprum educat. Hæc omnia autem consultantur, ita ne Venetorum legato continuè Constantinopoli degenti, vel verbulum reueletur. Sed negotiatores quidam clam hæc audiunt, & Venetis nunciant.

1570 Ludoicus *(al. Aloisius)* Mocenigo Dux Venetiæ, præsidem Cypri monet, vt paratus sit resistere hostibus, mittit Marcum Quirinum amiralium in Cretam contra hostes. Cubates legatus Turcicus *(quem comitabatur Venetorum legatus perpetuus)* 11. Februarij Venetiam venit, Selymi nomine Cyprum sibi poscit. Dux Ludoicus conqueritur de violatione pacis, & quia non nisi bellum quærunt Turci, testatur se classem emissurum pro Cypro.

Pialis-bassa cum 80. triremibus & 30. nauigijs, paulo post & Ali-bassa cum 36. triremibus, & 12. nauigijs Cyprum inuadit, 2. Iulij Lisimo & Salinæ occupantur. 25. Iulij Nicosia vrbs Cypri nobilis obsidione cingitur per Mustapham-bassam. N[illegible]olaus Dandalus præses Nicosiæ suos hortatur ad animositatem, & implorat opem Venetorum: 27. Iulij Pialis-bassa Famagustam Cypri metropolim obsidet, 24. machinas maiores applicat.

Sebastianus Venierus classiarius Venetorum Corcyram petit, vt inde Cypriotis succurrat.

3. Augusti Nicosia à Venetorum duce suo Domino, nullum auxilium accipiens, deditionem facit, pia matrona puluerem bombardicum incendit, & omnes naues quibus captiui abducendi erant disijcit, rata melius esse mori quàm abduci in Turciam. Miserum sanè spectaculum, vbi Christiani cum hac matrona in aërem coniecti sunt, & quasi volare visi, antequam exspirarent. Hoc enim vis pulueris nitrati effecit.

Veneti cum Pontifice agunt, & cum Hispaniæ rege reconciliari cupiunt, petuntque opem contra Turcos. Pius IIII. Papa mittit Amiralium suum Antonium Columnam, cui Veneti suum ducem Zancum D' Oria addunt, ast hi totum tempus consultando terunt.

Veneti

Veneti Sebaſtianum Venierum cum noua claſſe mittunt, ſi vel hic obſeſſos liberare poſſit. 19. Maij Famaguſta vehementer bombardis quatitur, 30000. Turci cadunt: 13. bombardæ Turcicæ globis maioribus ex vrbe eiaculatis diſijciuntur: 21. Auguſti Turci nouas munitiones, & propugnacula contra vrbem ædificant. Marcus Antonius Bragudinus præſes vrbis videns ſibi nullas auxiliares naues mitti à ſuo duce Ludoico Mocenigo, & nihilominus Turcos inexpugnabile propugnaculum contra vrbem extruere, 4. Auguſti deditionem facit, & in caſtra hoſtium cum nobilibus ſuis veniens, contra datam fidem capitur, nobiles comites Turcicis gladijs feriuntur, ipſe Antonius auribus abſciſſis, demùm excoriatur: Vrbs Famaguſta Turcicis præſidijs munitur. Interea reliqui Baſſæ vicinas Inſulas Zanten, Zephaleniam, Antiuari, Duligno, & Cerigo vaſtant ferro & igne, adeoq; bonam partem Cretæ, dum Cyprus tota à Turcis ſubigitur, captiui Chriſtiani, infantes, virgines & iuuenes triremibus, Conſtantinopolin ducendi, in itinere naufragio pereunt.

1571

Famaguſta deditionem facit.

Iohannes Auſtriacus (*al. Don Ian di Auſtria, al. Ian, D' Oſtria, nothus Caroli V. frater Philippi Hiſpaniarum regis*) claſſem fœderatorum Meſſinæ collectam educit (*neſciebat enim Cyprum iam occupatam*) liberaturus Cyprũ. Venierus & Columna incredibili gaudio eum excipiunt, quærunt quid, & quomodo pergendum, imò an pergendum. Iohannes dicit non conſultandi, ſed confligandi eſſe tempus, & ſi Inſula amiſſa, Turcos ſine cæde & ſanguine non dimittendos. Columna dextrum, Venierus ſiniſtrum cornu, Iohannes Auſtriacus medium occupat.

Turci exanimantur tam ſubita Venetorum mutatione, quomodo iam aciem adornent, qui vltra ſeſquiannum

num consultationibus certauerunt. Hali, Hazon, & Portu Bassæ coniungunt vires, consultationes ineunt, quomodo occurrendum hosti. Dum consultant, & Selymi mandatum expectant, Iohannes D'Austria classem magis magisq; propiùs adducit: 7. Octobris in sinu Corinthiaco supra Zazinthum sub Albania apud Echinadas concurritur, prælium nauale committitur, mare ex sanguine occisorum rubet, Ali-bassa cadit, Portu, & Hazan Bassæ ægrè aufugiunt: Turci plurimi cæduntur, plurimi submerguntur, & Iohannes Austriacus memorabilem victoriam reportat.

Clades Turcarum ad Echinadas.

1572 Bogdanus VVeiuoda VVallachiæ inferioris à Turcis deficit, & cum Polonis coniurat: Quia verò in Russia vxorem ducturus, capitur à Sebrouizio Iohannes Masouius Polonus, auro sibi emit VVallachiam, & auxilio Turcorum Chocim Metropolin occupat.

Chocis.

1573 Iohannes Austriacus nouam expeditionem suscipit in Africam, Tunetum à Mamelucis restauratum occupat, itemque Goletum, & nouum castellum seu propugnaculum medio inter Tunetum, & Goletum loco ædificare incipit, operis continuationem Salazero, & Gabrieli Serbellioni Hispanis committit, atque in Europam reuertitur, vt ad ædificationem necessaria subministrari curet.

Sinan-bassa testatur hoc nullo modo concedendum: hortatur vt Ochialis Cair-bassæ consilio subscribat, & illud opus Christianorum interrumpat.

Bogdanus in Russia ex carcere liberatus per Polonos reducitur in VVallachiam: Quia verò videt se Turcis resistere non posse, rursus aufugit, & in Moscouia exulat.

1574 Sinan-bassa 160. triremes educit contra Africam, Pialis-bassa pluribus triremibus sequitur, Ochiales Cair-bassa

baſſa ſuccurrit ſua claſſe, ita vt Africa littoralis nauibus ferè tota obtegeretur: 15. Iulij propugnaculum nouum ædificant Turci ex quo Goletam oppugnant, 200. globi, vno die ex Goleta in hoſtem emittuntur ex bombardis maioribus, Petrus Carrera Præſes Goletæ auxilia à Gabriele Serbelione accipit, 16. Iulij aliud propugnaculum ædificatur à Turcis. Petrus viriliter reſiſtit hoſtibus, eruptionem facit, 3000. Turci cadunt. 30. Iunij Iohannes Zanaguerra Petro plures copias ex nouo caſtello mittit, videlicet 500. Soldatos. Turci foſſas vrbis adimplent tribus in locis, & oppugnationem continuant, vſq; ad diem Bartholomæi, tunc vrbs vi expugnata occupatur, & ſolo æquatur, reliquiæ ciuium Cimetæris diſſecantur, vnà cum virginibus, iuuenibus, & infantibus: Rex Tuneti Mahometh adoleſcens adhuc, capitur, & cum Petro Carrera compedibus vinctus in nauigio Ochialis cuſtoditur, tandemq; Conſtantinopolin Selymo mittitur. Quanta ſpolia, arma, & præſidia in vrbe inuenerint Turci, non facilè dixero, ſed & 40. triremes, vulneratos & ægrotos Turcos Algierum vehunt, vt curentur.

24. Auguſti Pialis Baſſa poſcit ſibi deditione tradi, nouum caſtellum, quod nondum abſolutum, Gabriel Serbelion reſpondet: deditionem facere non poſſum, & quia defenſionem Domino meo ſanctè promiſi, & quia iam ſenex Turcicum iugum ferre nequeo: quapropter ad extremum vſq; ſpiritum pugnabo pro aris & focis, cum 3000. meis Soldatis, qui mecum parati potius mori, quàm in captiuitatem abduci.

25. Auguſti Nouum-Caſtellum obſidet Pialis Baſſa: Don-Salazar eruptionibus crebris Turcos multos cædit: Serbelion oppugnatores armis ita excipit, vt vitam & ar-

ma sua deponant. Turci maiore clamore DEI auxilium implorant, & indesinenter Hala, Hala, Hala clamant, pariterq; oppugnationem noctes & dies continuant: 13. Septembris Serbelion duobus globis feritur sed non lethaliter. Quare mori potius volens quàm capi medios se proijcit in hostes. Pialis-bassa aduolat, & viuum capit cum Salazare: Serbelioni Pialis-Bassa alapam infringit, & filium eius ipso spectante crudeliter mactat, castellum inuadit, Christianos miserrimè tractat.

Petrus VVeiuoda VVallachiæ superioris fratris sui auxilio & consilio Iohannem accusans, & maius tributum, promittens, VVallachiam à Consiliarijs Selymi, auro corruptis emit 120000. Vngaricos aureos tributum promittit cum Iohannes (*al. Iuonia*) tantum 40000. pendisset. Iuonia consilio suorum Procerum recusat dare tantum tributum, quantum Petrus promiserat, implorat Poloni auxilium, non autem impetrat. Hinc Cosaccorum opem impetrat, & eorum viribus Turcos cædit, & Brailouam sedem VVallachiæ superioris VVeiuodæ obsidione longa domitam expugnat, & solo æquat. Hinc vicina loca vastat, & quater Turcos memorabili prælio vincit virtute Cosaccorum. Hinc Turca crebris orationibus DEVM suum inuocat: tandem Zarnauius Iohannis (*Iuonia*) capitaneus auro à Turcis corruptus, & lacrymis Petri motus simulat acerrimum prælium, & dum præliatur deditionem spontaneam facit. Cosacci tamen Turcos aliquoties memorabili prælio victos, repellunt. Quia verò Turci plus auro, quàm armis certant, & subinde Iohannis duces corrumpuntur, deditionem facit, & contra fidem datam in castris, crudeliter cranio dissecto, aliquot vulneribus perimitur, caput abscinditur, &

truncus

truncus caudæ mulæ alligatus, per castra rapitur. Hac ratione Selymus totam & superiorem, & inferiorem VVallachiam suo imperio adijcit.

VVallachia Turcis subijcitur.

Interea Veneti & Galli fœdus suum cum Turcico Sultano renouant, inscio Pontifice, & Hispano. Sed 15. Decembris (*al. 13. vel 15. Septembris*) Selymus secundus crapula & libidinibus confectus, animam exhalat. Anno ætatis 51. regni 8. Mahometis 981. Salutis nostræ 1574. (*al.* 1575.) eius mortem celauit Memmates Bassa, donec Amurathes ex Magnesia Constantinopolin vocatus venit. 29. Septembris Sinan-bassa Tunetum multo labore expugnat, & ita totam barbariam, aufugientibus reliquijs Hispanorum suo Sultano subijcit, & Constantinopolin redit ad sepulturam Selymi.

Soboles Selymi secundi.
- Amurathes III. *qui patri successit.*
- N. *Filia copulata Scander-Bassæ, qui ad Siseccum ad Colapis littus perijt, & caussa fuit violationis pacis.*
- Mahometes. / Aladinus / Ziangir / Abdalla / Solymanus — *in fratris Amurathis conspectu secundum leges Othomanicas suffocati.*
- N. Filia copulata Mahometh-Bassæ.
- N. Filia copulata Siaus-Bassæ.

Synchroni Selymi secundi.
- Imperator Romanus Maximilianus II. 1564. 12.
- *Pontifices*:
  - Pius IIII. 1559. 6.
  - Pius V. 1565. 6.
  - Gregorius XIII. 1572. 13. *Bononiensis ICtus.*
- Elector Brandeburgicus Iohannes-Georgius 1571.
- Caspar Colignius Castilioneus *amiralius gallicus Parisiis cum innumeris reformatis crudeliter trucidatur* 1572.

6. AMVRATHES III. 19.

1574 Sextus Amurathes Iaurini mœnia cepit.

Amurathes eius nominis tertius primogenitus Selymi II. ex Christiana matre natus: vir virilis staturæ, macer, pallidus, barba rara & prolixa, secundum Physiognomiam nihil Tyrannicum facie referens, religionis, pacis, & iusticiæ studiosissimus, omnem ἀσωτίαν patris exemplo introductam, sua temperantia & seueritate in ebriosos remouit, vino absynthiaco tamen sæpè ad ebrietatem vsq; vsus dicitur: morbo caduco obnoxius, & calculi doloribus satis vexatus: auarus, & plus consilijs matris, vxoris, & sororis, quàm Bassarum tribuens, 20. Decembris ex Amasia per celeres accitus in Sarayo, conclaue imperatorium, est ductus, vnde in templum Sophiæ ad preces, & inde in palatium, seu aulam ætatis suæ 27. (al. 30.) 25. Decembris, quo die Saluatoris nostri natalem nos celebramus secundum constitutionem primitiuæ Ecclesiæ, ille secundum constitutionem Othomanicam, quinque suos fratres adolescentulos (*inter quos maior natu octennis*) suffocat: Mater Solymanuli infantulum filium suum in conspectu patris ita suffocari videns, præ animi dolore seipsam pugione transfodit, vnde Amurathes ipse in lacrymas solutus dicitur, vt qui hoc facto damnaret Othomanicum fratricidium (*addit quidam, & duas nouercas prægnantes sublatas.*)

Quia à Bassis ex Amasia vocatus erat Ianizaris (*vt fedet murmur eorum*) non solum honoraria vsitata & stipendij augmentum confert, sed insuper nouo priuilegio donat, vt nimirum eorum liberi, quamprimum ad iuuenilem ætatem (20. *annum*) peruenirent in numerum Ianizarorum iuniorum recipiantur, & eorum priuilegijs fruantur.

Guber-

Gubernationem suam inchoat publicatione legum, 1575
mutatione valoris monetæ, & largissimis eleemoiynis pauperibus distribuendis. Et etiamsi potius quietis & pacis amantissimus est, tamen ne videatur degener, Bassis vindictæ cupidis obtemperat, & exercitum mittit in Russiam, qui ducentas sedes nobilium, præter innumeros pagos, & oppida, ferro & igne vastat, viros crudeliter trucidat, pecora & iumenta abigit, equos nonnullos excoriat, & ex crudis pellibus ligamenta facit, quibus captiuos Russos ligatos abducit in VVallachiam: dum verò spolia Petrus VVeiuoda, seu Bassa VVallachiæ cum Turcis diuidit, Cosacci in Præcopitas Tataros irruunt, & similiter spolia auferunt.

In Persia Ismaël secundus Schach-Sophi (*id est, rex re-* 1576
formatus) propter Tyrannidem, & iniquitatem, qua nec proprijs fratribus pepercit, à suis consiliarijs veneno sublatus eijcitur, & Mahometh-Hodabendi (*id est, Mahometh vindicis DEI minister, seu vt alij volunt cultor vindictæ diuinæ, vel Mahometh cæcutiens, vt alij volunt*) ex Corasena vel inuitus vocatus Techmæ patri in locum fratris veneno sublati, rex constituitur, vir pacificus & modestus, ægris autem oculis, & debili visu, amicitiam init cum Sangiaco-Curdistan (*id est, præfecto Chaldææ*) viro pio & magis Homaristis, quàm Musulmanis fauente, adeò vt coniurarent, & Sangiaco promitteret recuperationem iuris hæreditarij, quod eius proaui in Chaldæa habuissent.

Vstrefus-Bassa (*al. Husreuo*) vicinus hoc sentiens hostiliter Persicos limites inuadit, & Mahometh-Schachi legato causam quærenti respondet: Quia tuus Dominus excipit profugos Turcos, & colludit cum illis. Neque hoc contentus Vstrefus, sed & Amurathi crebras mittit literas

& monet vt tempestiuè rebellem Sangiacum tollat, & expeditionem in Persiam, prætextu pacis clandestinas coniurationes molientem.

His postulationibus excitantur, & Cadilescher, & augures Turcicæ aulæ, vt qui non delectabantur otio, & quiete sui Sultani.

Sed Mahometh-Bassa gener Selymi II. vir ætate, & prudentia grauis subscribit votis Sultanarum *(id est, matris & vxoris Amurathis)* & testatur melius esse pacem, quæ coaluit, fouere, quàm serpentem dormientem excitare.

Hoc consilium primò sacrificuli, vt qui nullo modo ferre poterant, quod Homaristarum religio præstaret Musulmanicæ, refutant fictis suis visionibus: Deinde & Augures somnij Amurathis *(qui serpentem sub arbore viderat recubantem)* sinistra interpretatione, quasi serpens ad radices non sit tolerandus.

Amurathes DEO magis quàm hominibus Mahometi Bassæ, & fœminis obædire volens *(vt putabat)* annuit, & iubet, vt Mustapha-Bassa, Cypri euersor istas partes in se suscipiat, cum illas præ alijs expetat.

1577 Mahometh-Hodabendi sentit sibi insidias strui, & vim parari, imploratam Georgianorum opem impetrat, & Turcis non in Persiæ, sed Turciæ campis occursare laborat.

1578 Mahometh-Bassa 200000. Turcos educit contra Persas, & mense Augusto Georgianorum regionem hostiliter inuadit: tùm quod Turcis nondum subiecti Georgiani, tùm quod Persarum fœderati, & Mahometicam non agnoscant legem: Regina Georgianorum vidua minorem natu filium Manuchiarem Mahometi-Bassæ obuiam mittit, & contra procerum consilium supplex subiectionem offert.

Persici belli continuatio.

offert. Baſſa verò contra datam fidem Manuchiarem vinctum mittit Conſtantinopolim.

Hinc vlterius in Perſarum fines tendit, occurrit ei Tocomacus, concurritur militariter, Muſtapha tamen cruentam obtinet victoriam, Titlin vrbem occupat, & nouum Beglerbegatum conſtituit.

Quia verò vlterius conatur pergere, Canacus fl. rapidiſſimus, & profundiſſimus videtur obſtare: Muſtapha vi cogit, vt traijciant Turci, præter camelos & arma 13000. Turci ſubmerguntur vno die: aſt ille hoc non curans inſtat vrgendo, hinc *Eres* Mediæ vrbem occupat, & ſimiliter Beglerbegatum condit (*abutitur autem titulo, dum non dat tantum regionis, quantum Beglerbego competit, vt magis excitet ſuos milites contra Perſas.*)

Videns autem plus laboris, & ſudoris, quàm auri & honoris in his locis acquiri, Othomanum-Baſſam conſtituit Vicarium, & ipſe Muſtapha-Baſſa Trapezuntem recurrit.

Chamzenus Perſici regis filius (*al. ChamZe Mirise*) Othomannum-Baſſam inſigni prælio ſuperat, Eres vrbem recuperat, Beglerbegum tollit, & Perſicis militibus eandem commendat. Othoman-Baſſa Sumachiam fugit, Chamzenus ſequitur, & in itinere Tataros Turcis ſubuenientes cædit: Sumachiam obſidet, Othoman-Baſſa ex vrbe fugit ad Caſpium mare: Summachia à Chamzeno recuperatur.

Othomanus Baſſa confugit ad Georgianorum principem Semalium (*al. Schembali*) ſimulat ſubiectionem, filiam eius ducit vxorem: Semalius veneno (*ſiue per filiam, ſiue per generum*) tollitur, Georgiam Othoman-baſſa ſibi vendicat vt dotem, & ab Amurathe auxilia poſcit.

Amu-

1579 *Bellum cum Persis continuatur.*

Amurathes Tataros vocat contra Persas: Othoman-bassa ex Temircapi arce subinde in Persiam excurrit, spolijsque onustus in arcem suam redit.

Mustapha-Bassa, vt promissis & consilijs suis satisfaciat, iubetur denuo exire, & Othoman-bassæ succurrere: Quare copias colligit, & Georgiam, seu Georgianam petit.

Interea Amurathes Manuchiarem circumcidit, vt olim Vasallus Turcicus in patria sua, Georgianorum regione esse possit: Alexandrum autem fratrem dimittit.

Ali-bassa classe in Colchidem pergit, nouum propugnaculum contra Georgianos & Persas ædificat, vocatq; Fassam, Persæ superueniunt, & vix absolutum rursus destruunt.

Hodabendus Ecbatanam venit, vt lustret exercitum, & videat, quid Chamzenus filius agat: suos milites in Turcorum fines emittit, vt spolia auferant: Mustapha-Bassa conatur eos repellere, ast Ianizari ipsi Mustaphæ, vt imperito, & auaro ductori mortem intentant.

Hæc in aula Turcica narrantur Amurathi: Sinan-bassa erumpit indignabundus, & ait: Quid hoc rei est, cur tam desidiosi mittuntur? si mihi concederetur ista prouincia, non quiescerem nisi Hodabendum in Casbin aula sua visitassem. Amurathes iubet, vt eat, mittitque lictorem, vt Mustapham tollat è medio.

1580 *Persicum bellū continuatur.*

Mustapha-bassa, lenitate Sultani fretus, callidè lictorem decipit, Amurathen accedit, & per Sultanas in gratiam redit, mense Aprili. Vt autem Sinan-bassæ superbo voto satisfiat, creatur à Sultano Visirus-bassa: Quare 25. Aprilis osculatur manus Sultani & Sultanarum, donatur Cimetæra, & vexillo imperatorio, Constantinopolim relin-

relinquit, & cum copijs suis Mediam petit.

Hodabendus Maxutum legatum mittit ad Amurathen si pacem impetret, absque restitutione occupatorum locorum: Ast Maxutus pollicitis Amurathis corruptus, suo regi responsum Turci quidem refert, mox tamen deficit, & ab Amurathe, secundùm datas promissiones creatur præfectus Ecbatanæ.

Hoc anno post plurium annorum labores collationes & conclusiones. *Formula Concordiæ publicatur.*

VtILIs ILLe LIber ConCorDIa DICtVs In orIs
TeVtonIæ penetrat RegVLa grata BonIs.

Interea Mustapha-bassa moritur: & Maxutus multum quidem mouet: parum autem promouet.

Sinan-bassa videns consilijs euentum non respondere, vtpote qui sperabat opes ex hoc honore, mutat sententiam, & ne prodat animi sui morbum auaritiam, & ambitionem, Hodabendum per literas hortatur, vt pacem ineat cum Amurathe III. similiterq; & Amurathen, quem sciebat pacis amantiorem. 1581

Vltra Euxinum etiam noui motus audiuntur. Nam Mahometh-Chan-Precop (*id est, Mahometes rex Præcopitarum Tatarorum*) à proprijs suis fratribus hostiliter premitur quare arma sumit: Fratres Hali, & Salometus fugiunt, & in itinere intercipiuntur, & in Poloniam ad regem ducuntur.

Ibrahim-Chan legatus Hodabendi regis Persarum Constantinopolim venit, non solum vt circumcisioni Mahometis III. intersit, sed etiam vt de pace agat. Hoc natalitium festum, admodum solenniter celebratum est, per aliquot dies. Legatus Gallicus (*Henrici III. Valæsii*) videns sibi præferri legatum Rodolphi II. Imperatoris Romani, *Mahometes III. circumcidi tur.*

domi manet, & non accedit ad solennia conuiuia Turcorum, ratus nimirum amicos fœderatos præferendos alijs.

Ad has solennitates circumcisionis filij sui Amurathes etiam multis precibus ex Polonica aula liberatos fratres regis Tatariæ Halinum, & Salometen adduci curat: eosque secum detinet contra voluntatem regis Tatariæ affirmans sed id facere, ne denuo quid seditionis in fratrem molirentur.

Interea dum Ferrathes-bassa nouum propugnaculum, contra Georgianos, & Persas ædificat, in Vngaria superiori Zolnocensis Præses cum 6000. Turcis Zepusiensem comitatum inuadit, obuia vastat, & Onod arcem occupare conatur. Erlauienses eis se opponunt: Onod à Turcis incenditur, & relinquitur. Archibusiri Erlauiensibus succurrunt, & Turcos in fugam conijciunt. Hinc querelæ in aulam Turcicam deferuntur, quasi Erlauienses violauerint fœdus. Mox tamen alia fama testatur, Erlauienses à Turcis irritatos hoc fecisse, & Amurathes iubet, vti vlterius quid moueant.

1583 Ferrathes bassa absoluit propugnacula duo, vocatq; nouo nomine Lori, & Tomaries.

Othoman-bassa ab Amurathe Ianizaros, & bombardas poscit, quas Amurathes quidem mittit, at interim-Sinan-bassam reprehendit, cur dixerit pacem peti, cum tot sumtus iam denuo requirantur. Sinan-bassa respondet: Sicut Sol & Luna regunt diem, & noctem, & Sol non admittit plures Lunas: Ita & Sultanus Turcicus non feliciter quatuor bassis nititur. Quare prius Bassæ plures remouendi, cum experientia testetur negligenter profici, quod pluribus committitur. Præterea & nouum regem adserit esse creandum contra regem Persarum, qui quasi sibi-

sibijpsi regnum quæreret. Amurathes sentiens Sarcasmos Sinan-bassæ consilio matris, eum exautorat, bona eius fisco adscribit: & Siaus-bassam Vngarum, sororium suum ei substituit.

Othoman-bassa accipiens ab Amurathe quod petierat, magno labore Sumachiam, Tabbassaron, & Cabbam vrbes Temircapi vicinas occupat, & hac ratione suos famelicos, & ægrotos milites parto commeatu recreat: mittitque septendecim claues Amurathi de septendecim occupatis oppidis, & petit sibi Tataros mitti.

Amurathes implorat Tatarorum opem, non autem impetrat, eò quod Mahometh-Chan testatur suos milites nondum accepisse stipendia superiorum annorum (*alij dicunt ideo recusasse auxilium ferre, quod fratres Hali & Salomet ex Turcica aula nondum dimitterentur*) Amurathes mittit debita stipendia 190000. Daleros germanicos: Chan seu rex Tataricus educit exercitum, & testatur se iam exire contra Persas: vbi verò legati Turcici abierunt, ipse Tataricus rex etiam reuertitur in suam arcem, quæ Crym vocatur, imo & Capham hostiliter inuadit, ostendens se nolle amplius esse Vasallum Sultani Turcici. Quin & Hali, & Salomet negligentiùs custoditi ex custodia aufugiunt.

Hinc irascitur Sultanus, & Othman-bassam ex Temircapi reuocat, substituitque ei Iafer-bassam: mox classe Othman-bassam instruit, & Capham vt liberet, mittit. Interea & Islanum (*vel fratrem, vel consanguineum regis Tatarici*) ex carcere Iconio retractum vocat, pollicetur ei magnos honores si Mahometh-Chan-Precop vel domet, vel expellat regno. Islanus pollicitis motus, & potius vasallus, quàm captiuus esse volens, annuit, salutatur Beglerbegus Tatariæ, donatur vexillo aureo pro signo fidelitatis. 1584

 Ali-

Ali-bassæ Islamus regno Tatarico præficiendus commendatur: Capham venit, Mahometh-Chan Tataricus rex à suis consiliarijs auro corruptis proditur, & cum duobus filijs adolescentibus neruo arcus suffocatur, & Islamus ei substituitur.

In Africa Ianizari admodum abutuntur lenitate sui Sultani. Nam Ramatham-bassam, cum in Africæ seu Libyæ arenis periclitaretur, interficiunt, vt qui suos non commodè ducere sciret. Sultanus Beglerbegum Cypri mittit eò, vt istos puniat: Ianizaris reuelatur hoc, ideo Beglerbegum conantur etiam tollere. Beglerbegus dolorem aggreditur, laudat eorum virtutem, ac factum, vituperat, Ramathan-bassam, vt inexpertum, & imprudentem: Ast Ianizari paulo post etiam Beglerbegi satellites interficiunt, dicentes: Quia contra te loquuntur, & dicunt te carnificem, non gubernatorem venisse. Beglerbegus sentiens non solum dolum dolo pelli, sed & sibi insidias strui, retrocedit.

Islanus nouo bello implicatur per patruelem moto, quare Othoman-bassæ auxilium implorat, & 60000. Turci cum Othoman-bassa Sinopen veniunt, & hybernant ibi: interim & Alibassa Islano mittitur succurrere contra patruelem.

In Europa Kal. Ianuarij Amurathes cum Rodolpho II. Imperatore pacem renouat ad aliud Octennium: Hinricus Liechtenstein tributum, & honoraria solita quinq; nauigijs Budam vsque defert, vbi à Sinan-bassa splendidè excipitur, & Turcico comitatu munitus vlterius pergit cum tributo Constantinopolim.

Amurathes ipse equestri ludo certans cum suis Mutis inter equitandum morbo caduco correptus, ab equo decidit,

cidit, tumultus oritur inter Ianizaros, Sultanum mortuum putantes, tertio tandem die Amurathes viuus in publicum prodit, & tumultus ſedatur.

Chriſtiani inter Turcos nouam Tyrannidem experiuntur. Etſi enim hactenus tributa ſoluerant, vt templa libera haberent: tamen iam non ſolum Conſtantinopoli, ſed & Ieroſolymæ plurima templa eis eripiuntur, & Muſulmanicis ſeu Turcicis ſacerdotibus commendantur. Patriarcha contradicens, & fidem datam volens inuiolatam ſeruari, cum tributa ſoluta ſint, ab officio remouetur (*alij volunt factum eò, quod cum Chriſtianis in germania, videlicet cum M. Cruſio, & D. Chytræo clam ſentiret*) & alius ei ſubſtituitur.

24. Octobris Raſciæ Begi cum 10000. Turcis in Carniolam vſque excurrunt, & ſpolia quærunt: 26. Octobris verò à Chriſtianis repelluntur: vbi hoc in aula relatum, & Baſſæ iniuriam vindicandam dicerent, Amurathes reſpondit: Audiamus prius alios, forſan noſtri Chriſtianos ›› (*qui non facilè pacem violant*) prouocarunt, vt nuper circa ›› Tockaium factum: Quamobrem literæ mittantur ad Bu- ›› danum, & Temeſienſem baſſas, vt ſuos contineant mili- ›› tes, ne temerè vicinis Chriſtianis vim inferant. (*vox nihil* ›› *iniqui, aut Tyrannidis redolens.*)

Veneti nauem Turcicam fœminis, pueris, & ſupellectile ſplendida onuſtam, & vi tempeſtatum in anguſtias Adriatici pulſam, diripiunt, fœminas ſtupratas concidunt: præcipuè autem virgo, Chriſtiano ſanguine nata, precibus & lacrymis petens virginitatis ſuæ conſeruationem, adeoque deditionem, & Chriſtianiſmi receptionem ſanctè promittens, ab ipſo Petro Hemo, Venetorum patricio vi ſtuprata diſcinditur: ſupellex omnis diripitur.

Amurathes mittit legatos, & petit, vt secundum articulos confœderationis rei supplicio afficiantur, quod & factum, & Hemus decollatus est.

1585 Ali-bassa, rebus in Tataria compositis, Constantinopolim redit, accusaturq́; quod antea auarus commeatum, & stipendia militibus debita in priuatum vsum conuerterit, & nunquam exercitum contra Persas eduxerit..

Othomanus-bassa ex Tataria etiam redit contra Persas, & prætendens se Nassiuam petiturum, callidè flectit iter, & per campos Calderanos, & periculosissimas montium angustias magno labore Ecbatanam venit: si hoc modo Persas non lusisset, absque dubio in angustijs montium oppressus fuisset.

Chamzenus dolum sentiens etiam reflectit iter, & Othomano circa Ecbatanam se obijcit: bis congrediuntur armis, & Turci bis cæduntur: dum Chamzenus respirat cum suis copijs Othomanus Ecbatanam obsidet. Alycu-li Præses Ecbatanæ eruptionem facit in Turcos, Chamzenus à tergo Turcos obruens succurrit suis, Turci ferè omnes cadunt, Othomanus-bassa cum exiguis equitibus aufugit quidem, sed nimio labore fatigatus, diarrhæa superueniente, moritur: Chamzenus continuat victoriæ cursum, proximos Turcos circa Sancazan, Othomanum lugentes obruit, 18000. camelos & mulos eis aufert, adeoque omnia spolia, quæ Turci in Persia corraserant.

Sinan-Cigalogli substituitur Othomano-bassæ. Chamzenus incautius spolia abducens à Sinane non vi sed dolo, & ex insidijs obruitur, & tamen viriliter disijciens Turcos victoriam, etsi cruentissimam obtinet. Aiunt 85000. Turcos, inter quos 40000. lectissimi Soldati seu Ianizari, occubuisse.

Ibra-

Ibrahim-bassa vir stratagematum inuentione callidissimus, & bellator acerrimus, nouam initurus apud Sultanum suum gratiam Drusos (*al. Trusos, al. Truschos*) populos Libani, ex Bilionæi posteris ortos, & in cauernis munitissimis habitantes, ineffabili astutia & labore vincit, eosque suo Sultano tributarios subijcit, quod hactenus nemo inter ducentos, id tentantes, perficere potuit. *Drusi fiūt Tributarij Turcorum.*

Chamzenus Ecbatanæ arcem, patris sui regiam sedem conatur diuturna obsidione recuperare. Ferrathes-Bassa nouum propugnaculum exstruit, & Sinan-Cigalogli exercitum nouum educit, quasi Cosbim petiturus: Persæ hoc videntes, ab obsessa arce discedunt, Sinanum intercepturi: Ast dum Sinano occurrunt, Ferrathes ex insidijs erumpit, Ecbatanam recuperat, & obsessos Turcos recreat: quin & Chamzeni copiæ à Sinane cæduntur, & Chamzenus ipse fuga salutem inuenit. 1586

Mense Iunio Constantinopoli cicadas pluisse dicunt. Mense Decembri Turci in Croatia latrocinia exercentes à Christianis cæduntur, caput fratris Bassæ Bosnæ Viennam, cum nonnullis alijs captiuis mittitur.

Bassa Zigethensis, Sangiacus Mogacensis, Sangiacus Quinqueecclesiensis, & Sangiacus Copanensis pacem violant, & 17. vicina castella deuastant: Christianos multos, & pecora abducunt. Georgius à Serin (*Nicolai filius,*) & Nicolaus Nadastius callida celeritate vsi, latrones hos ante ortum Solis obrutos ad Canisiam intercipiunt, cæsis multis spolia recuperant, duo Sangiaci capiuntur, inter quos Copanensis vinctus Viennam mittitur, & Copan à Christianis occupatur. 1587

Nocte

Nocte inter 3. & 4. Decembris inaudita copia anserum, & anatum, ad exemplum præliatorum rostris se scindentium circa VVihitz auditur, mane incolæ innumeras anseres, & anatas ex hoc prælio necatas colligunt, & culinam suam egregiè ditant.

Ali-bassa Budanus iussu Amurathis strangulatur, eò quod violauerat pacem, & suos Sangiacos non continuerat, substituiturque ei Sinan-bassa (*paullò antè intercessione uxoris suæ in gratiam receptus.*) in Beglerbegatu.

1588 Ingens seditio Constantinopoli: Spachi enim seu equites ex Persia redeuntes, stipendia sua poscunt, satis quidem pro imperio: Sultano consentiente monetæ valor augetur, & tributa noua sine discrimine à subditis poscuntur. Subditi sua priuilegia vrgent, & resistunt, Aga, seu Dux Ianizarorum monetur suos Ianizaros instigare, vt postulatum tributum soluant, sed periclitatur, & mox vt rebellis ab officio remouetur, & stabularius ei substituitur: Hunc Ianizari ne admittere quidem volunt, sed minitantur mortem: incendium sequenti nocte oritur, Ianizari iubentur ex officio aquas adferre, & extinguere Hi verò non solùm recusant, & nouum Agam suum lapidibus petunt, sed & partim alios, qui aquas adferebant, abigunt, partim ad exemplum Spachorum vasa olei, & vini adusti affundunt, vt incendium augeatur: consumuntur hoc incendio septem templa, 25. Hospitalia 15000. ædificia, 130. institutoria.

Post dies non multos Beglerbegus Græciæ & Dauid Passy Iudæus (*primi autores noui tributi*) iubentur vel colligere tributum, & Spachis instantibus soluere stipendia, vel alia ratione turbam sedare, ibi & Sacerdotes publicè omnes dehortantur ne soluant, sed priuilegia defendant:

templa

templa clauduntur, conciones & preces publicæ ſuſpenduntur: ædes procerum expugnantur, gliſcit nouum incendium, & quid multis opus? Amurathes cogitur obœdire Ianizaris, & Spachis ex ſuo regio theſauro ſoluere ſtipendia, ſuaſores noui tributi libidini Ianizarorum ſubijcere, & noui tributi mandatum reſcindere. Quàm crudeliſſimè verò duo illi autores huius tributi à Ianizaris, & Spachis tractati ſint, non facilè dixerim, equi caudis alligati per vrbem rapiuntur, capita abſcinduntur, abſciſſa pro pila huc illuc iactantur, & alapis excipiuntur.

In Aſia vrbs Geuze *(al. Geugie)* à Perſis relicta, Turcis fit præda: aſt Ferrates blandis verbis Perſas fugientes reuocat, promittitque eis reſtitutionem, ſi tantum promittant tributum Perſæ ſponte in annuum tributum promittunt 5000. ducatos. Aſt dolus dolum trudit. Dum enim Ferrathes rurſus ex vrbe exit, & non ſolum tributum, ſed & ſecuritatem ſibi pollicetur, in proxima ſylua à Perſis ex inſidijs erumpentibus cæditur, ita vt amiſſis plurimis militibus, perceptiſq; pluribus vulneribus vix fuga ſalutem inueniret. Idem & Temircapenſi nouo Beglerbego accidit, adeoq; & Cigalogli-baſſæ, circa Nehauenth, & inde ſecundò circa Arnidan conflictantur, Turci enim fugiunt, Perſæ inſequuntur, certatur vſque ad occaſum Solis, & vtraque pars fatigata recedit, vt vires recolligat.

Hinc & VS-beg-chan Tataricus dux cum ſuis Tataris ferè funditus à Chamzeno deletur, & Choraſena regio Perſis redditur.

Quamobrem Hodabendus ad Ferrathen ſcribit, hunc in modum: Tu & Sultanus tuus ſcitote, quod nunquam vobiſcum fœdus iniuero: dum enim pacem fronte promittitis,

mittitis, reipsa & per vestros Turcos, & Tataros duobus in locis me angustatis, belligerabo contra vos, dum vixero. Ferrathes hanc epistolam Amurathi mittit, & plures copias, pecuniamque petit. Ast Amurathes rescribit, & hortatur vt omnes neruos intendat, & quibuscunque conditionibus pacem ineat cum Persis: præsertim cum Constantinopolim tanta calamitas & incendij & penuria pecuniæ premat.

In Europa Sinanus-bassa Budanus, cum vicinis Begis, & Sangiacis, præcipuè Corcuthe bego Filleccensi & Mustapha Sangiaco Setzinensi vires coniungit & 4. Octobris 11000. Turcos congregat, quibus 6. Octobris arcem Putnocum (*Putnoc*) obsidet, & quia actum agit, deserit, & castellum Sichso incendit.

Claudius à Russel cū suis copijs se ijs obijcit, pugnatur acriter: Sigismundus Ragozius præses Erlauiensis succurrit, clam maiores bombardas Turcorum aufert, archibusiri omni vi in hostes explodunt, Turci fugiunt, & conqueruntur de inaudita ratione pugnandi, imò quidam dicunt Diabolos Vngaris adfuisse, non enim humanum ita continuè globos eiaculari (*Archibusiri enim sunt equites, qui præter gladium tribus bombardis, longa & breuibus duabus, instructi veniunt, & continuè explodere possint beneficio padronorum, vt vocant*) Vngari arces vicinas Blobnstein, Kerkes & Gesthes occupant. Sinan-bassa ob hanc pacis violationem Constantinopolim vinctus abducitur, & Beglerbegus Bosnæ, nimirum Ferrathes-bassa, ei substituitur.

1589 Cosacci irruptionem faciunt in Tatariam, & spolia colligunt. Tatari consensu Amurathis vim vi repellunt, & Podoliam inuadunt: Zamoiscius corradit 3000. Polonos, & Tataris obuiat: ast Tatari hoc olfacientes spolijs

lijs onuſti in fugam ſe conijciunt. Coſacci vlterius pergunt in Tatariam non contenti prioribus ſpolijs, & maiora captant, & Codon oppidum mercatibus nobile inuadunt: Tatari occurrunt, ſed tandem ex inſidijs oppreſſi cæduntur, cum bis victores extitiſſent. Quin & Zamoiſcius inuadit eos, & ſimiliter plurimos cædit prælium erat ſparſum per aliquot miliaria, & cohortes ſparſim pugnabant.

Turci mittuntur ſuccurrere Tataris, ſed quia cum Polonis fœdus ſanctè ſeruare volunt, ad Neſtrum à longè vt ſpectatores otioſi, morantur: Et Beglerbegus Græciæ literis Zamoiſcium monet, vt Coſaccos reos puniat, & reliquos in poſterum intra limites contineat, ſi pacem ſartam tectam velit: Sin minus, ſe adeſſe, vt ſuccurrat preſſis Tataris: præterea monet, vt honoraria & tributum debitum Sigiſmundus III. Suecus, nouus rex Poloniæ mittat, ad exemplum anteceſſoris ſui, ſi nolit vi auferri.

Hac epiſtola motus Zamoſcius triſtiſſimam famam ſpargit per totam Europam, & poſcit tam militem quàm pecuniam: Polonici proceres contribuunt cum ſubditis, & Zamoſcius ſuam crumenam, & regium theſaurum ſudore ſubditorum ditat. Fama illa euaneſcit dicto citius (*vt fictam decebat*) comitia celebrantur: tributi relaxatio poſtulatur, & Zamoſcius accuſatur VVarſauiæ, vt vel deponatur, vel eius potentia limitetur, abſque reſpectu promiſſionis, qua teſtabatur ſe vel in VVallachiam vſque exiturum contra Turcos.

In Aſia Perſæ multum mouēt, Turci ſpectant quorſum euaſuri: arcē Nehauent (*ſuperiore anno à Turcis ædificatam*) expugnāt, & totā regionem (*quam Hamidan vocant*) occupant.

Cigalogli-bassa petit auxilia ab Amurathe, ast nemo ex Turcis in Persiam vel pedem ponere vult, nisi Sinan-bassa præcedat. Quia verò Sinanus-bassa sibi metuit *(vt qui iam expertus Persas)* hinc inde diuerticula quærit.

Constantinopoli post paucos dies schedulæ hinc inde inueniuntur à Spachis *(equitibus)* sparsæ, quæ talia verba continebant: Necessitas cogit nos aliquid tentare, rogamus Sultanum ne se immisceat. Explicatio horum verborum reipsa mox probatur. Nam Sinanus-bassa Visirus *(qui antea Bassa Budanus)* à suis cubicularijs *(famulis ex Vngaria olim raptis)* in lecto inter dormiendum trucidatur 11. Octobris, ipsique cubicularij *(aiunt nobili genere oriundos, & olim Nicolai à Serin ministros fuisse)* arreptis thesauris præcipuis Sinani aufugiunt, neque vspiam reperiuntur.

Alij hac ratione mortem eius adferunt. Legionarij ex Persia reuersi, adiunctis sibi Ianizaris, ob non solutum iusto tempore iusti valoris stipendium, ita furere incipiunt, vt Sultani aulam cingant armati, poscunt sibi dari Beglerbegum Græciæ, & quæstorem aulæ Turcicæ, vt præcipuos autores non soluti stipendij. Amurathes vt suæ, & vrbis saluti consulat, tradit eis postulatos duos proceres, etsi inuitus, & mœsto animo: Hi à Ianizaris & Spachis in minutissimas partes discerpuntur, & incendium insuper in vico Iudæorum, quo 12000. ædes conflagrarunt, oritur. Forsan hæc turba est eadem quæ superiore anno accidit, & hoc anno aliter in Europa est relata.

Polonis Turca pacem petitam non abnegat, sed vel hæreditariam promittit, si Mahometismum suscipiant. Hic paroxismus per totam Europam supra modum eleuatus *(vt antea etiam dictum)* citò euanuit, constituta pace inter

inter Turcam & Polonum, intercedente Angliæ regina (*cuius rei gratia Amurathes Elisabethæ reginæ Angliæ familiarissimè respondit.*)

Præterea & Poloni in VVarsauiensi conuentu sequenti anno centum quadragenas (Zimmer) pellium Zabellinarum ab Amurathe in compensationem damni à Cosaccis illati postulatarum, contribuunt. 1590

Dum itaque pacificus Amurathes fœdus cum Polonis, Anglis, Gallis, & Venetis renouat, adeoque & cum Persis inire laborat, Turcici quidam Latrones circa Maltam, & Massiliam naues negotiatorum intercipiunt, plurimosque captiuos abducunt. Quare Veneti legatos ad Sultanum mittunt, conqueruntur de latronum violentia, quod impediant liberum cursum negotiationis, & petunt, vt reuocentur, & supplicio debito afficiantur.

Hispani à latronibus Turcicis sibi metuentes, classem 1591
armant, & simul legatos mittunt, qui inducias ad triennium ab Amurathe, vt Rodolphus II. Imperator ad octennium, impetrant.

Persa vix inierat pacem cum Turcis, & in ipso apparatu confirmationum pacis filius regis Persarum, in aula (*vbi obsidis loco*) Turcica moritur. Persæ reposcunt arma: Amurathes filium defunctum decenti comitatu patri in Persiam remittit, & non solùm apologia addita, se ab omni suspitione violentæ sublationis filij excusat, sed etiam pacis confirmationem flagitat.

Turci pacis & quietis impatientes, & spolijs subinde 1592
inhiantes, ex Bosna progressi arcem VVihitz in finibus Croatiæ munitissimam, longa obsidione domitam, expugnant, indeque Zagabriam, & Canisiam (*Camisiam Germaniæ*) hostiliter petere dicuntur.

Hazon-bassa *(al. Asson bassa)* Bosnæ præfectus arcem *Siseck* acerrimo, & tamen irrito conatu oppugnat: vtpote à Christianis in vicinia confluentibus, repulsus.

Hazon indignè ferens suam cladem, recolligit copias, & Petrinium *(al. Petrinam)* nouum propugnaculum ex roboribus arborum, vnà cum ponte ad Colapim fl. contra Christianos ædificat, & inde in Turopoliam vsq; excurrit, spolijsq; onustus redit, antequam Christiani conueniunt.

Hinc & Siseccum arcem propter transitus in Stiriam Carinthiam, & Carniolam oportunitatem denuò oppugnat: Legatos ad Nicolaum Miccatium præfectum Sisecci mittit, & deditionem poscit: Nicolaus legatos amicè exceptos, lauteq; ad ebrietatem vsq; tractatos per fenestrã in Colapim abijcit, & quia ex his omnes conatus, & vires Turcorum didicerat, Hazonem ex insidijs adortum cædit.

In superiore Vngaria Valetinus Præpostvvarius Præses Erlauiensis Turcos in negotiatores hostiliter irruentes, & mercatum inhibentes circa Toccaium adoritur, ast 700. Vngaris, & Germanis amissis Erlauiam redit.

Quia igitur in omnibus locis, ad limites Vngariæ, Croatiæq; Turci vel fame, vel auaritia coacti, vel à Mahomete III. qui suas vires ostentaturus, excitati, pacem violant, Vngari vim vi repellendam suadent, & pacem non seruandam, statimq; vicinas arces inuadere parant.

1593 Hazon-bassa *Trentzinum* expugnat, Siseccum per decem dies bombardis quassat: Rupertus ab Eggenberg succurrit obsessis: Hazon occurrit Ruperto, 2. Iunij concurritur circa Petrinam 18000. Turci partim gladio, partim vndis Colapis intereunt, inter quos & Hazon ipse, & *(Scander-bassa)* sororius Amurathis, cum pluribus alijs begis, & Sangiacis occubuerunt.

Soror Amurathis audita morte ſui mariti, ad fratrem Sultanum ſupplex confugit, & mortis mariti ſui vindictam petit: interea noſtri Petriniam obſident.

Amurathes Sororis precibus, adeoque Sinanis-baſſæ monitis excitatus apertum bellum Rodolpho II. Imperatori noſtro clementiſſimo, rupto fœdere, indicit, exercitũ conſcribit, eiq; Sinanũ-baſſam proregem al. Protouezirũ ſuum præficit, vt cui reliqui Baſſæ & Begi obtemperent.

Hæc fama vt percrebuit depoſita cunctatione penſio annua Conſtantinopolim verſus mittitur.

Quamprimum in Vngariam veniunt, Begler-begus Græciæ 24. Auguſti Siſeccum expugnat: Sinanus Viſirus-baſſa 26. Septembris *Veſprinum*, & 30. Septembris *Palottam* expugnat, & contra datam fidem deditionem facientes trucidat, Ferdinandum Samaria in fuga interceptum captiuum abducit, & 3. Octobris caſtella Tihan, & Teſſan occupat.

Vbi verò hæc innotuerunt, legati cum penſione annua reuocantur, milites corraduntur, qui reprimant vim Turcorum, & proceres imperij Romani Ratisbonam ad comitia conuocantur.

Interea Huſſarus-Petrus *(id eſt, Petrus dux equitum Vngaricorum)* Theſaurarium Turcicum 10. Octobris ſtipendia militibus diſtribuentem, in caſtris obrutum cædit, & pecuniam ſibi rapit. 21. Octobris Melchior à Redern 600. Turcos velitari prælio cædit, & plurimos captiuos Chriſtianos ex eorum manibus eripit.

Eodem die & Ferdinandus ab Hardec Albam-regalem obſidet, Huſſarus-Petrus ſuburbium primum vaſtatum incendit: Turci accelerant obſeſſos liberaturi; Hardecus & Melchior à Redern cum Chriſtianis copijs, viriliter prælio

prælio acerrimo exceptos, in fugam conijciunt, 24. Octobris 8000. Turci cadunt, & Christiani, amissis multis socijs spolia amplissima auferunt (*aiunt 32. bombardas maiores 500. currus commeatu onustos, & 1500. Tauros*) & Iaurinum victores redeunt.

In Superiori Vngaria Christophorus (*al. Fridrich*) à Ticfenbach 8. Nouembris arcē Zabatca obsidet, sequenti die expugnat, 250. Turcos in ea obrutos cædit, & victor Fillecum vrbem, & arcem munitissimam, Sangiaci Turcici sedem 12. Nouembris obsidione cingit: Turci aduenientes cæduntur, & spolia gratissima Tiefenbachio relinquunt.

Fillek. Hinc Fillecum omni conatu oppugnat, & 14. Nouembris expugnatam vrbem occupat; 16. Nouembris etiam arcem, sedem Sangiaci, expugnat. 18. Nouembris altera arx deditionem facit: & sic Fillecum (*quod 800. pagos habere dicitur*) in Christianorum potestatem redit.

Hæc expugnatio vicina castella, Diuin, Zebschin, Blobnstein, Drogel, Pallancka, Zamoschi deditionem facere mouet. Hinc vlterius Vngari pergentes, etiam Nouigradum, Holky, Hollock, & VVaske occupant.

Cicali-bassa legatus Turcicus Venetijs splendidè exceptus opiparè tractatur, omnia vrbis arma, & ædificia ei ostenduntur, & magno comitatu remittitur in Thraciam. Quin & Zengenses ab irruptionibus in Turcos, mandato Ducis Venetorum, reuocantur.

Tatari in Podolia direptionibus indulgentes, & Turcis contra Vngaros subuenire volentes à Cosaccis dissipantur, & ad VVallachiam vsque profligantur.

Constantinopoli Fridericus Krecvvitz orator Imperatoris nostri, compedibus vinctus, in carcerem abijcitur, & in-

& inde Albam Græcam ductus, viciſſimque in carcerem coniectus, vitam in compedibus finit.

In comitijs Ratisbonæ Rodolpho II. promittuntur nouæ contributiones, & copiæ contra Turcos, tanta quidem vis pecuniæ ei promittitur, quanta nulli antea: & ne quid omittatur, etiam peculiares horæ precationum inſtituuntur, in quibus DEI auxilium imploratur contra Turcos fœderis, & pacis violatores.

Franciſcus Dux Lavvenburgicus, & Auguſtus Dux Lunæburgenſis exercitus ſuos menſe Aprili in Morauia luſtrant.

Coſacci Albam-Neſtri, & Ciliat emporia Turcorum occupant, & ſpolia ampliſſima auferunt.

Matthias Auſtriacus Nouigradum arcem, poſtquam vrbem ſuperiori anno occupauerat, ad deditionem cogit: & tria vicina caſtella occupat.

6. Aprilis Tiefenbachius Hatvvanum arcem, & vrbem munitiſſimam obſidet: 2. Maij in prælio 2500. Turcos, qui obſeſſis ſuccurrere conabantur, cædit. 6. Iunij vrbem vehementer oppugnat, & denuo cum Turcis confligit, & 10. Iunij, deficiente commeatu, & munitione, re infecta, retrocedit.

4. Maij Matthias, Archidux Auſtriæ, frater Imperatoris Strigonium (Gran) obſidet: 11. Maij caſtellum in S. Thomæ monte expugnat: 7. Iunij caſtra in inſula collocat, & 27. Iunij ſuburbium proximum incendit. Turci crebris eruptionibus Chriſtianos laceſſunt, qui aliàs fame, & tabe conſumebantur. Hardecus Marſcalcus-campi, clam Turcis fauens, & cum Baſſa Budano conſpirans, plurimos germanos proditoriè Turcicis gladijs obijcit, & 28. Iunij caſtellum S. Thomæ relinquitur, Turci Chri-

ſtianorum diſceſſum non ſolum mirantur, ſed & diſcedentes ſequuntur: Dotis arcem, ſimiliterque Sant Martinsbergum 13. Iunij deditione accipiunt.

20. Iulij Sinanus-baſſa Iaurinum (*Rab*) propugnaculum Chriſtianorum obſidet: Chriſtiani Tſettam inſulam occupant Iaurinum liberaturi: obſeſſi crebrò erumpunt, ſed victi repelluntur. Iohannes Medicæus & Auguſtus Dux Lunæburgenſis viros ſe præſtant, & non paucos Turcos cædunt. 29. Auguſti Turci Danubij brachium traiiciunt, & noctu Chriſtianorum caſtra in Inſula inuadunt, dum duces alibi occupati detinentur, & auferunt quicquid inueniunt, ſimulque ſuis Turcis obruta caſtra Chriſtianorum committunt. 10. Septembris præſidiarii milites, exemplo Hardecci, ſui præſidis animum abiiciunt, plurimi clam aufugiunt & Altenburgum veniunt. 19. Septembris Hardeccus cum 6000. militibus deditionem facit: Turca ruinas reſtaurat, templum cathedrale humo explet, machinaſque ſupra illud diſponit: & præter 2000. equites etiam 4000. Ianizaros in arce relinquens *Papam* à noſtris incenſam & relictam occupat: 3. Octobris Comorram obſidere parat, ſed virtute Eraſmi Braun. 14. Octobris repellitur.

Hardeccus proditionis inſimulatus Viennæ in carcerem coniicitur.

Sigiſmundus Bathori VVeiuoda Tranſyluaniæ Chriſtophori filius Stephani olim regis Poloniæ patruelis, iuuenis pius, & Heroicus, defectionem à Turcis meditatur, conſiliarios contradicentes, & cum Balthaſare patruele ſuo in carcerem coniicit, & Temeſium menſe Iunio obſidet.

Tatari ex Sinani-baſſæ caſtris in hyberna dimiſſi,
in

in VVeiuodam incidentes, deflectunt iter, & Tockaium adeunt, sed à Polonis, & Cosaccis repelluntur, ideoque per Transyluaniam viā quærere conātur. VVeiuoda Temesium relinquit, vt suā Transyluaniam à Tatarorū incursionibus defendat. Tatari igitur viam nullibi inuenientes, retrocedunt, & ad Vesprinum in hyberna se recipiunt.

Quin & Michaël Horvvart capitaneus VVeiuodæ Turcos in VVallachia hyberna quærentes cædit, Transalpinam occupat, & ad Danubium vsq; progreditur.

Mahometes-begus, Sinanis filius, literas ad Hardeccum mittit, & hortatur ad recuperationem pacis quasi iam satis vindictæ sumtum, de sororii Amurathis morte. Sed nostris, vt aiunt, visum fuit fraudulentam pacis oblationem non admittere, & potius bellum contra fœdifragos continuare.

5. Octobris Lecouicius vrbem VVihitz noctu obruit, muros conscendit, & incolas cædit: ædificia incendit, 1200. Christianos captiuos liberat, & arcem obsidione cingit.

Interea Sigismundus VVeiuoda Transyluaniæ, VVallachiæ & Moldauiæ societatem, & fœdus cum Rodolpho II. Imperatore nostro clementissimo æquis conditionibus init, & in confirmationem fœderis Maria Christina (*al. Anna Christina*) Caroli Austriaci relicta filia, soror vxoris Sigismundi III. regis Poloniæ, & Suediæ) ei petenti despondetur.

Sub initium anni conuentus Pragæ, & Posonij celebrantur, & deliberatur de modo, & medio, quibus 1595
Turcis obuiam procedatur.

Interea Amurathes III. & mœrore animi, & calculi dolore exanimatus vitam cum sceptro Constantinopoli

 deponit.

1595 deponit, ætatis suæ 51. (al. 52.) regni 19. Mahometis 1003. Salutis nostræ 1595. anno, die 8. Ianuarij.

Soboles Amurathis III.
- Mahometes III. *ex Magnesia vocatus patri successit.*
- Selymus, *qui puer obijt.*
- Filia Huma Kissi, *quæ copulata est Ibrahim-bassæ.*
- *Aliæ filiæ quarum nomina nondum nobis relata.*

Synchroni
- Imperator Rom. Rudolphus II. 1576. *cui DEVS felicitatem, in Nestorios annos.*
- *Pontifices*
  - Gregorius XIII. 1572. 13. *Calendarij reformator.*
  - Sixtus V. 1585. 5.
  - Vrbanus VII. 1590. 12. *dies.*
  - Gregorius XIIII. 1590. 1.
  - Innocentius IX. 1591.
  - Clemens VIII. 1592.
- Elector Brandeb. Iohan-Georgius 1571.

  Hunc pater alme patrem patriæ, imperijq; columnam
  Teutonici salua pro bonitate tua.
  Angelici cœtus ipsum comitentur euntem.
  Ne fortè impingat protege Christe senem.
  Non secus ac aquilæ, vires renouato senectæ
  Aras atq; focos, Spiritus alme, tegat.
  Da pater vlterius superet, pietate fruatur,
  Nos foueat: superet Nestoriosq; dies.
- Concordiæ opus publicatum 1580.

7. MAHOMETES TERTIVS.

Septimus est hodie Mahometes Induperator.

Quando sit circumcisus. *Mahometes* eius nominis Tertius, filius Amurathis tertij, Anno Christi 1582. secūdo Iunij, ætatis verò decimo sexto anno, circumcisus: in Magnesiam, vt ordinariam sedem primogenitorum Sultanorum, missus, à Ianizaris Constan-

Constantinopolim per celeres vocatus, patri substitui- 1595
tur, ætatis suæ 29. anno, Christi verò 1595.

An & quot fratres (*cum nulli hactenus certò innotuerint*) è medio sustulerit (*volunt enim nouendecim sublatos neruo arcus, & nescio quot nouercas submersas, matrem verò genuinam in exilium missam.*) quæritur. In adolescentia sua sane aliquod *Ingenium.* specimen virtutis Othomanicæ exhibuit, quãdo instinctu Siaus-Bassæ anno 1584. suæ aulæ-Magistrum proprijs suis manibus interfecit.

Dum hic Constantinopoli facit quæ ad procurationem imperij requiruntur, patrisq; sui Archiatrum nobilem Iudæum velut vitæ insidiatorem è viuis tollit, nihilominus bella in VValachia, Moldauia, Transyluania & Vngaria suscepta, per Bassas continuantur.

VValachiæ enim VVeida Michaël 9. Martij Tataros in Vngariam tendentes repellit: Albam-Nestri obsidet, suburbiumque vastat.

Moldauiæ VVeida Aaron similiter cum Cosaccis virum se præstat contra hostes publicos.

Grætijs verò Christina-Austriaca Sigismundo Bathoræo Sponso absenti, (*pro more inter reges recepto*) copulatur.

Carolus comes Mansfeldicus ex Belgio in Vngariam vocatur, vt damnum ab Hardecco & eius complicibus illatum, recuperet.

Tertio Martij Sultanus in frequenti procerum conuentu Ianizarum quendam nobilem VVusuodi Kiezo vocatum, in carcerem deduci iubet, vt qui Sinanum-Bassam auaritiæ insimulare, Iaurini occupationem extenuare, VValachiæ amissionem exaggerare præsumsisset: Reliqui autem Ianizari, conspiratione facta, vi socium suum ex *Conuentus Turcicorum procerum.*

 carcere

1595 carcere liberant, & ipse Sultanus ægrè euadit. Eo ipso in conuentu, & ambassatores seu legati electi, qui Transyluaniæ principi hæreditariam possessionem VValla-chiæ Moldauiæ & Transyluaniæ promittant, adeoque omnis restantis tributi remissionem præter honoraria amplissima, si à Romano Cæsare ad Turcicum redeat. Verùm bonus princeps potius oblata respuere, quàm semel datam fidem fallere voluit: &c. vt animum verbaq; sua factis declararet, Turcis itum reditumque ad Danubij ripam intercludere perrexit.

Quamobrem Sultanus VVusuodini verba altius perpendens, Sinanum Bassam tanquam auarum patriæ proditorem ad supplicium quærit, ipsique Ferrathen substituit, qui vi requirat quod muneribus obtineri non potuit. Hunc Ferrathen vt adulatione potius quàm militia nobilem, Ianizari ducem agnoscere nolunt, ideoq; periculosus tumultus ortus dicitur.

Kalēdis Aprilis Turci & Trāsyluanus ad Temesiū denuo congrediūtur: Turci cædūtur, & Proilla, Girgio & Simillio oppida VValachiæ Transyluano relinquere coguntur. *Turci cæsi.*

Sultanus Ferrathen nouis copijs instructum eò mittit: Transyluanus ea qua potest celeritate corradit reliquias, & hosti obuiam properat his & Nadastium adfuisse volunt. Concurritur circa Danubium.

Ferrathes victus fugit: Nadastius vexillum Ferrathis raptum, à victore Sigismundo, triumphabundè Albam Iuliam ingrediente, honorarij loco aufert.

Aaron incarceratur. Hinc Aaron Moldauiæ VVeida, seu præfectus, vt parum fideliter & viriliter arcem Tegeine obsidens, adeoq; cum Turcis & Cardinale Polonico proditoriè colludens, Albam-Iuliam vocatus vndecimo Maij in carcerem conijcitur:

citur: Consiliarij eius merito afficiuntur supplicio: bona eius militibus diripienda propinantur, Thesaurus solus Sigismundo reseruatur: & in Moldauiæ præfectura Stephanus quidam Boyiarius Aaroni substituitur. 1595

Papa Clemēs VIII. Papa Romanus, vt probet se vtrumq; gladium politicum & Ecclesiasticum gerere, hinc inde milites in Italia conscribit, qui paulo post in Vngariam mittantur.

Mansfeldicus lustrat suum exercitum. Carolus comes Mansfeldicus, desideratus Vngariæ locum tenens vocatus iamq; Viennæ splendidè exceptus, ad Altenburgum 29000. milites lustrat, ad expeditionem necessaria arma munitiones, animosque præparat. Hîc ad Leytham fl. nobilissimos vt ignobiles, fœminas vt mares, virgines vt adolescentes, pari conatu noctes diesq; laborando laborare & ad expeditionem castrorumq; munitionem necessaria præparare vidisses.

Educit suos. Vtque opus mira celeritate peregit, ita miro silentio prudentia & rigore ingressus est iter, quod ne tertius quidem sciuit. Omnes enim suum ducem secuti sunt, anxiè inquiritantes quorsùm eatur.

Adueniunt interim & Germani & Itali ex Belgio adducti & Banditæ Italiq; ex Italia à Pontifice missi.

Proditores patriæ puniuntur. Viennæ autem, in atrio aulæ Imperatoriæ 16. Iunij, Ferdinandus comes ab Hardec Vngarus & Nicolaus Perlinius Colonellus Italus, extremo capitis supplicio afficiuntur: huic quidem caput tertio ictu, illi verò caput & dextera amputata. Reliqui octoginta socij Iaurini adeoque patriæ proditores partim decollati, partim suspensi partim in exilium eiecti sunt.

Turci conantur turbare nuptias. In Transyluania interim præparationes fiunt ad Nuptias Principis & dies certus intimatur. Turci rescisc unt, repentè arma sumunt, nouis sponsis hastas pro tædis, gladios

1595 dios globosque igniuomos pro gamelijs oblaturi. Sponsus & Turcorum conatum & sponsæ febrim audiens, diem dictum prorogat, Turcis occursat & ad Sophiam vsq; vastabundus pergit.

Comes Mansfeldicus præter exercitus sui spem & opinionem 21. Iunij (*seu in vigilia visitationis Mariæ stylo nouo*)
Gran. Strigonium obsidet: primum suburbium à vicinis Rascijs
Rätzenstat. nuncupatum, & à meticulosis Turcis desertum, occupat. 27. Iunij muros quassare incipit. Primo Iulij alterum sub-
Wasserstat. urbium ab aquæductibus vndas in arcem deferentibus dictum vehementer concutit, arcem ipsam in montis vertice sitam, ex proximi montis propugnaculo S. Thomæ hostiliter oppugnat.

Quinto Iunij Nicolaus Palfius ad ripam custos viæ constitutus, vi Turcorum ex castris suis pellitur, & obsessis comeatus milesque adducitur. Sexto Iulij Ger-
Jüdenstat. vel Rockern. mani & Palfius tertium suburbium à Iudæis incolis vocatum, inuadunt, & muros ligneos (*vtpote ex continuis trabibus, in medio terra repletis contextos*) magno labore destruunt & 13. Iulij expugnatum suis militibus committunt. 19. Iulij Turci eruptionem faciunt, ast plurimis socijs amissis redeunt intra mœnia. 27. Iulij nouæ copiæ obsessis ex Turcia veniunt, sed à soldatis Germanicis cæduntur, Cameli, Muli, Machinæ, Turcique multi capiuntur (*ex quibus duo præcipui Turci Viennam mittuntur.*)

Italici Soldati & Banditæ, ne soli Germani viri dicerentur, etiam suas exerunt vires, vrbem ipsam arci contiguam crebris oppugnationibus varijsq; machinationibus ad extremas adigunt angustias. Obsessi quæsiti an deditionem facturi, respondent: se potius mori quàm arcem tradere paratos, cum deditionem facientes æquè ac

prodi-

proditores patriæ puniantur à Sultano Turcico. 1595

Kalendis Augusti pars prædæ Viennam venit, quare non tam diuo Laurentio (*cuius festum peragebant iuxta stylum nouum*) preces, quàm DEO grates referuntur, & sonitu bombardarum & cantu vocalium instrumentaliumque Musicorum.

Secundo Augusti Carolus comes à Mansfeld, diarrhæa subita correptus Comorram subducitur vt morbum curet. *Mansfeldicus ægrotat.*

Tertio Augusti suburbium quo adhuc reliquum vtpote ab aquæductibus nomen habens vi expugnatur. Soldati enim Italici & Germanici proprio (*vt loquuntur*) motu coniurant, dum quidam intempestiuè, in absentia ducis sui, de primatu certant, & mira animi vehementia in vrbem se conijciunt per ruinam muri. Turci hoc videntes, incendunt suas ædes & in arcem fugiunt: Germani qua possunt celeritate flammam restinguunt, & Itali spolijs se onerant. *Wasserstat.*

Quarto Augusti (*seu die ascensionis Mariæ secundum nouum Calendarium*) Carolus comes Mansfeldicus, cùm non sine insigni lætitia audisset vltimi suburbij expugnationem, animam Comorræ exhalat. Medici cadauer secantes, caussam mortis inueniunt non venenum propinatum, sed prauum humorem ex nimio peponum & vini glacie frigefacti vsu generatum, tandemque compositus decenti ritu & comitatu in Belgium Lucelburgum defertur & ibi sepelitur. *Mansfeldicus moritur.*

Sultanus Ferrathen Bassam, vt vel timidè vel perfidè agentem reuocat: & Sinanum in gratiam receptum pristinæ dignitati restituit: qui tamen magis defensiuè quàm offensiuè in Vngaria ageret. *Sinan Bassa restituitur.*

1595 *Poloni.* Poloni, autoribus Andræa Bathoræo Cardinale, Ioanne Zamoſcio Archicancellario, & Stephano Bathoræo (*Andrææ fratre*) nouas turbas excitantes hoſtiliter in Moldauiam, (*quaſi quæ magis Polonicæ quàm Romanæ Coronæ debeatur*) irruunt, dum Tranſyluaniæ princeps Turcos ad Fogiethum arcem Temeſio vicinam, profligat, Lippam expugnatam occupat, & eius incolas Turcos in exilium dimittit.

Lippa occupatur.

Matthias Archidux Auſtriæ, vices Mansfeldici defuncti ſuſcipiens, virtute Marchionis Burgouij, Turcos Budâ aduentantes 25. Auguſti cædit, arciſque oppugnationem ita continuat vt nulla domus integra relinqueretur.

Tandem 30. Auguſti Turci nulla auxilia videntes, inſidioſè hinc inde cùm occultaſſent ignem, qui reliquias diſijceret, deditionem faciunt, & iuxta pactum triginta nauigijs accommodato datis Budam exules 2. Septembris migrant.

Strigoniū occupatur.

Quare arx præſidijs Germanicis munitur, & ædificatores mittuntur, qui ædificia diſiecta reſtituant: verùm irruentis hyemis, frigore ab opere cæpto pelluntur: & Palſio Strigonium committitur.

Tranſylu ani nuptiæ. Eo ipſo autem die quo Mansfeldicus expirauit, in Vngaria, Sigiſmundus in Tranſyluania nuptias celebrauit Albæ Iuliæ cum Anna-Chriſtina Auſtriaca. Sponſam Stephanus Ioſua Cancellarius Tranſyluaniæ gratulatoria oratione excepit: Legatus Pontificius Sponſos ritu ſolenni copulauit.

Sinanus relicta Vngaria totus in Tranſyluaniam conuertitur, vtpote nuptias turbaturus, & amiſſa recuperaturus.

At Princeps gaudijs Nuptiarum abruptis, 23. Augusti Turcis ſuos prodromos obijcit, qui eos retundunt. 1595

Vndecimo Septembris ipſe Princeps ipſi Sinano occurrit: Sinanus victus fuga ſalutem quærens inter feſtinandum ex lectica de ponte cadens ſemimortuus in caſtra defertur: vt verò recollectis viribus audiuit ſuorum cladem & vexilli ſacri amiſſionem, (*Sacrum vocatur eò quod ſit quaſi ſacra anchora & extremum auxilium Turcorum contra hoſtes. Eſt autem vexillum ex viridi ſerico paratum & ſub iridis forma, iconem Mahometis Prophetæ Turcici referens*) ſui ipſius quaſi oblitus equum poſcit, ſi vel vexillum ſacrum recuperet: aſt actum agit. De hac clade tale extat Epigramma: Sinan victus.

Ponte Sinan nuper nauali ſtrauerat Iſtrum
Daciam vt infeſto milite diriperet:
Subq́ iugum antiquum violenter cogeret armis:
Victor in Vngariam deìnde rediret ouans.
Non tulit hoc factum princeps, Sigemundus: in hoſtem
Expedit inſtructam prævalidamq́ manum.
Pugnatur dubio diſcrimine: terq́ reſumtis
Viribus hac illac tota peracta dies.
Tandem clade Sinan magna ſuccumbit: in vndas
Præceps delapſus vix caput inde refert.
Quin viride amittit Mahometis (at omine longè
Infauſto.) Signum: pluraq́ damna capit.

Interea etiam Craſtovvitz & Petrinia arces Turcicæ recu- Craſtovvitz.

1595 perantur, & tredecim Machinæ bellicæ recipiuntur per Christianos milites in Croatia contra Turcos agentes,

Vizzegrad Palfius oppidum Vizegrad cum arce Blindenburg occupat, & irrruente hyeme pedem retrahere, Exercitumq; partim in hyberna mittere, partim omnino dimittere, cogitur.

Transyluanus & religionis curam habet. Transyluanus per legatos à pontifice petit sibi mitti Episcopos & sacerdotes, quibus partæ & recuperatæ Ecclesiæ committantur.

Zamoiscius Tataros repellit ne Turcis subueniant.

Ferrathes strangulatur. Ferrathes Bassa triginta viris comitatus Constantinopolim venit, & quasi rebellis, strangulatur, bonaq; eius ad fiscum rapiuntur iuxta legem Othomanicam. Dicitur quinque myriades auri (fünff milliohn Goldes) habuisse, ita donat & aufert Sultanus opes suorum ministrorum: Vxores autem & liberi hæreditate priuantur.

Princeps Transyluaniæ Sinanum fugientem quærens ad Tergouistum dum commoratur, quindecimo Octobris *Aquila.* *Aquila* è vicino Saxo Königstein in castra Transyluanorum præcipiti cursu volat, & supra tentorium Principis sedens capitur & principi offertur.

Cometa. Quin & eodem die Cometa in oriente conspectus est, cauda sua Transyluani castra notare.

Sinan fugit faciem Sigismũdi. Sinanus audiens principem venisse Tergouistum, retrocedit. Princeps sequitur. Sinan Buccarestum fugit: subueniunt ipsi Hasson-Bassa & Michaël VVeida olim VValachiæ (*qui iam ad Turcos defecerat.*) Princeps subsequitur: Concurritur: Hasson Bassa in manus principis deuenit, & lytrum 100000. ducatorum promittens, tamen non dimittitur: Castra Turcorum occupantur: Mille Turci prædatum emissi spolijsque iam onusti ad solita castra *Hasson capitur.* *Lepidè factum.*

rede-

redeunt & prædam oſtendunt: videntes autem ſocios ſuos 1595
comilitones eiectos & caſtra ab hoſte occupari, fugamq; adornantes cæduntur & præda Tranſyluanis manet. Hinc princeps victoriam continuans Sinanum vlterius quærit. Aſt Sinanus etiam caſtrum S. Girgio, (*ſeu S. Georgij quod Zarga Turci ſua lingua vocant*) Tranſyluanicè dictum, ad ripam Danubij ſitum deſerens, fluuium ſuperat, pontemq; abrumpit, ne princeps vlterius ſubſequatur. Quare Princeps Buccareſtum & Tergouiſtum præſidijs ſuis munit, vt & S. Georgij caſtrum, & exploratione facta cognoſcens hoſtem abijſſe, victor Albam-Iuliam ingreditur: conſultat quomodo res belli porrò inſtituenda, & vigeſimum quemque virum ad bellum euocat.

Sultanus nouas copias conſcribit omneſque neruos in Tranſyluanum extendendos intimat. Maximilianus Auſtriacus Zolnocum tentat: Lencouitius Carlſtadij præfectus incendit VVihizium quando arcem vt vix expugnabilem domare non poteſt. Turcici exercitus copiæ aliæ Iaurinenſibus comeatum & militem adducunt: aliæ Petriniam recuperare conantur: aliæ alibi hoſtibus pro virili ſe opponunt, Itali & Reitenauienſes milites latrocinijs, & libidinibus ipſos Turcos facilè ſuperantes inter amicos ſæuiunt, & ius hoſpitij non curantes, inhumaniſſimè ipſos hoſpites ſuos trucidant, quamuis non omnino impunè. Sinanus Baſa tribus diſtinctis legationibus Conſtantinopolim reuocatur. At veterator ſibi metuens & Othomanicum ſtatutum Sultanorumq; ingeniũ ſciens, eò proficiſci recuſat, niſi prius ſacro iuramento ei ſaluus conductus ſanctiſſimè promittatur. Hoc impetrato demum adit ſuum Cæſarem, ſplendidè excipitur & princeps Viſirorum conſtituitur: & quia rude donari, vt ſenem octoge-

Sinan callidè prouidus.

 ctoge-

1595 ctogenario maiorem decebat, recusat, sponte suam operam vsq; ad extremum halitum offert cæsari suo, asserens, se in castris natum & educatum in castris moriturum. Addunt & Sultanum Sinano promisisse seipsum in Transyluaniam comitem ipsi futurum.

Papa non otiosus. Clemens VIII. Pontifex maximus literis & legationibus Zamoiscium Archicancellarium & Sigismundum III. Regem Poloniæ & Suediæ monet ne quid hostiliter in Transyluaniæ prouincias sibi perficere præsumant: Andræam Bathoræum Cardinalem Poloniæ, vt primarium huius tumultus autorem, Romam citat. Poloniæ rex literis responsorijs asserit se pronum ad fœderis conseruationem cum Christianis initam: ast Zamoiscius Moldauiam & VValachiam inuadit, VValachos multos cædit, Risuanum VVeidam capit & hastæ infigit. Quamobrem Sigismundus Transyluaniæ Princeps exercitum suum mittit qui Polonis resistant, alium qui limites contra Turcos muniant: Ipsemet verò in Bohemiam ad affinem suum Imperatorem Romanum iter suscipit consilia & auxilia allaturus.

1596 Sub initium sequentis anni, Turci Strigonium callidè recuperare laborant, sed frustrà, dum dolus eorum detegitur & pars eorum cæditur noua munitione destructa.

Rex Tataricus ad Turcum. Tatarorum Chan seu Rex literas ad Sultanum mittit & in posterum ne asinum quidem se in Vngariam aut VValachiam missurum dicit, nisi prius stipendia Tataris debita soluantur, & reliqui Tatari in Vngaria tolerabilius tractentur & alantur.

Chasse-

Chaſſetus-Baſſa duodecim millia Turcorum Budam ducit, & Budam & Albam-regalem muniturus, antequam verò aduenit, Palfius dicitur ad Budæ muros fuiſſe & 2500. Chriſtianos ex captiuitate Turcica in veteri Buda habitantes, liberaſſe. 1596

4. Februarij Sigiſmundus Bathoræus Princeps Tranſyluaniæ Pragam Bohemorum venit, vndecim rhedis & viginti circiter equitibus ſtipatus. Aſt ſequenti die, & febri corripitur & poſtulis inficitur. Quare cum valetudinem curaſſet 25. Februarij templmm ingreditur, vbi à Patriarcha Ieſuitarum oratione longa excipitur: Princeps verò Patriarchæ ex tempore latinè ita reſpondit, vt non ſolum omnes eius facundiam miraretur, ſed ipſe Cæſar præ gaudio lachrymas mittere diceretur. Tandem 4. Martij, re peracta, auxilijs impetratis & valetudine recuperata redit in Tranſyluaniam. *Tranſyluanus Praga.*

Dum verò adhuc in via eſt, Turcorum alij in Moldauia cum Polonis facere & aliquid monſtri contra Tranſyluaniam alere referuntur (*contra quorum conatus principiſſa Tieffenbachium vocaſſe dicitur donec maritus redeat.*) Alij ad Budam confluêre vt principem redeuntem intercipiant: Alij verò cum Baſſa Temeſienſi in Boſſinam ſecedere: Alij verò Strigonij recuperationem tentare, aſt Germanos vigilantes inuenire, dicuntur.

In Dalmatia Vſcochij (*id eſt, ſocij claſſis Zengenſis*) Cliſſam vrbem obſident, vi & dolo expugnant, & præterea Spalato tentant. Aſt Veneti precibus Turcorum expulſorum moti, Chriſtianos viciſſim repellunt & Turcos priſtinæ vrbi reſtituunt. *Cliſſa.*

Tranſyluanus circa medium Martij, cum Viennam pertranſiſſet circa Budam in hoſtes incidit: verùm Turci

ita

1596 ita intercipiunt redeuntem principem vt plures suorum sociorum desiderarent, quàm Transyluanorũ occidissent.

Palfius, qui huc vsq; comitatus fuerat Principem, ad suos redire parans, similiter incidit in Turcicas cohortes quas tamen copiosas exiguo comitatu suo DEI auxilio cecidit.

Transyluanus rediit in suam terram.

Sub initium Aprilis princeps domum reuersus exercitum conuocatum lustrans inuenit 14000. pedites, & 3000. equites, vt vulgò numerant: ex his aliquot cohortes VVeidæ VVallachiæ mittit contra Polonos si quid moliantur: reliquum exercitum ducit contra Turcos & Tataros Lippam obsidentes. Antequam vero eò venit, audit Turcos sub prætextu deditionis cæsos, & ignitis catenis è maioribus machinis missis dissipatos adeoque depulsos esse. Quamobrem subsistit & magis ad defensionem necessaria præparat, præsertim quando audit Turcos Adrianopoli colligi & tàm vias reparare, quàm necessaria ad belli continuationem præparare.

Circumcisio noui Sultani.

Interea Sultanus Filium suum Solymannum Constantinopoli solenni pompa circumcidere, & Sinanum-Bassam virum 85. annorum Apoplexia extinctum audire perhibetur.

Maio mense, Princeps rectà Tataros circa Lippam & Temesium sæuientes adoritur (*ne nimirum exercitus dies & nummos perdat antequam promissa Germanorum auxilia adueniat*) vrbem ipsam, vt Bassæ Temesiensis sedem ordinariam, obsidet: Tatarorum reliquijs cæsis fugatisque omnia vrbi proxima solo æquat, atque ita vehementius obsidionem vrget.

Iulio mense, dum Germanicus miles conscriptus conuenit: Albertus Cardinalis Austriacus de Calisio nobili

Artoe-

Artœsiæ emporio expugnato triumphat: Papa Transylua- 1596
ni confessionarium dimittit: Dania ad sui regis coronationem necessaria operosè præparat: Persa nouas iras in Turcos concipere dicitur: Gallia Anglia & Belgium ab Hispanis agitatur: & Iesuitæ hinc inde tumultus periculosissimos excitant; Arcturus & Iupiter sub vltimis vrsæ maioris cometam, virgâ Zenith notantem, ostendit, an Cometa.
hic idem ille sit quem Veneti mense Maio vidisse dicuntur, tempus docebit. Superiori autem anno etiam ad castra Transyluani visus est.

Faxit Deus vt hi Cometæ regni Turcici ruinam portendant, & ipse nos oculis misericordiæ suæ respiciat, adeoq; ex omnibus malis clementer eripiat. Euentus Tragicos plærumq; habuêre Cometæ. Nam Pontanus ait:

Illi (Cometæ) *etiam belli motus feraq; arma minantur,*
Magnorum & clades populorum & funera regum.

Et Lucanus: *Et terris mutantem regna Cometen.*
seu vt alij legunt: *Et terris minitantem bella Cometen.*
Et Camerarius: ὀυ Ἴις κομήτης ὅστις ὀυ κακὸν φέρει.
Visus enim raro frustrà flammare Cometa.

Id quod plurima Exempla, hinc inde, præcipuè in Peuceri de diuinatione fol. 358. obuia testantur.

Eia age præsto veni Christe optime maxime nobis A. C.
Dum furit in miseras, trux Mahometus oues:
Quas sacer ille tuo fusus de corpore sanguis
AEterna patri conciliauit ope:
Et quibus impertis diuini balsama Flatus,
Vt maneant regni portio cara tui.
O igitur defende tui nunc cordis ocellos,
Nec sine delicias quæso perire tuas.

In Scythicas potiùs ſtringe Iram atq; arma phalanges
Latronumq; vna reprime ſtrage ducem.
Et quoniam ille tuum reputat ſine numine nomen
Effice Te verum ſentiat eſſe DEVM,
Gloria ſic creſcet tibi perpes noſtraq; ſemper
Lingua erit in Laudes officioſa tuas. Amen.



Appen-

APPENDIX

Exhibens explicationem quorundam nominum quorum mentio fit in hac compendiosa relatione (*tantum diuersas appellationes annotaui, vt alibi copiosius vberiores explicationes legi possint, & in tabulis Geographicis inueniri.*)

Archibusiri recentiore vocabulo vocantur equites Germanici qui præter gladium tribus bombardis instructi, eisque ita vti sciunt, vt eiaculationes continuare possint, beneficio Padronorum, vt vocant.

Alcairum (*rectius* Al-Cairum, *quia al. tantum articulus est*) al. Cairum, al. Cairo, al. Algiero al. Memphis, al. Messer, al. Moph, al. Noph, vrbs & regia sedes AEgyptiorum Regum, de qua plurima plurimi scripserunt: Memphis occasum, Babylon noua, al. Cairo ortum spectat: vtramq; secat Nilus: 15. germanica miliar. dicitur habere in ambitu: pyramidibus nobilis. *Algeria* autem est in Africa, & alia vrbs.

Athenæ al. Cechinæ, al. Athena, al. Setines, al. Cecropia, al. Mopsopia, vrbs Achaiæ ad littus sinus Megarici, olim nobilis, hodiè casæ piscatoriæ.

Alepo al Aleppo, al Halepum, al. Alep, al Epiphania al. Antiochia, al. Berrhæa: Vrbs Syriæ ad Amanum ferè, media inter Eufratem, & mediterraneum.

AEnus al. AEnos hod. Ignos, al Ienus, al OEgnus al Enio. Vrbs Græciæ ad Hebri ostium, & littus Archipelagi.

Aueo al. Aueco al Auco olim Abydus Vrbs Asiæ ad Hellespontum, Sesto opposita & ex poëtis notissima.

Alba-Nestri, al. Bialgrod Nester, al. Nester-Alba, al. Momastro, al. Bialogorod, al. Billagrod, Vrbs Bessarabiæ, seu VVallachiæ ad Nestri ostium, & littus ponti Euxini: & non ad Borysthenem, quæ Neper, non Nester dicitur.

Alba-Iulia, al. Alba-Iula Siebenbürgisch Weissenburgk/al. Sermisdacia al. Gulafeyruar. metropolis Transylua-niæ, vbi Tochiorkeretz in Morossum fl. exoneratur; nobilis collegio Iesuitico.

Alba-longa, Vrbs Italiæ satis nota.

Adriaticum vide mare mediterraneum.

Altenburg vide Ovvar.

Alba-Græca, al. Nondar-alba, al. Asprocastron al. Ac-Chisar, al. Accihisar, al. Acce-Chisar, *al. Belgradum, al. Bellogradum, al. Bialgrod, al.* Griechisch weissenburgk/*al.* Kriweißburg *al.* Krichisch weiseburg/ *al. Taurunum, al. Taurynum*: vrbs & propugnaculum olim Vngariæ, ad confluentiam Danubij *(quem ad Boream)* & Saui *(quem ad Austrum habet)* situm, natura & arte munitissimum.

Alba-regalis al. Stuell weissenburg: Vrbs Vngariæ inferioris, vbi olim reges Vngarici coronabantur, ad Sarvvizam fl. non procul à lacu Balaton in loco paludoso.

Adrianopolis al. Adrianopoli, al. Orestias, al. Adrysa, hod. Edrenede: Vrbs Thraciæ ad Coprissam fl. 25. meiln von Constantinopell/ al. iter tridui volunt, sita est ad radices Rhodopi.

Adranes al. Edrenos: Vrbs Bithyniæ, Prusæ vicina in Asia.

Apollonia hod. Bolina, al. Apolline
Vrbs Macedoniæ ad Atho montem.

Amphipolis hodie Empoli, al. Emboly, al. Lembalo, al. Le Embalo: Vrbs Græciæ ad Hebrum fl. in Chersoneso.

Ancyra hod. Enguri, al. Engori, al. Encyra
Vrbs ad Galatiæ & Bithyniæ limites in Cappadocia.

Adana al. Adena, al. Adenna, al. Ladene pro La-Adene
Vrbs Ciliciæ.

Albania est regio, sed vna est in Europa, quæ olim *Epirus*, altera in Asia ad Euxinum, quæ hodie *Mengrelia* dicitur.

Aulona al. Velona, al. Selona, al. Aulon, al. Valona, al. Volona, al. Bolona: Vrbs Albaniæ Epiri ad littus Adriatici maris, Hydranto Apuliæ opposita, vbi mare Adriaticum ita angustatur, vt spacium inter littus sit vix iter vnius noctis.

Apu-

Apulia hod. Puglia, al. Puglio, al. Puezli,
regio Italiæ ad Adriaticum mare.

Africa al. Aphrica
Tertia pars orbis, estque duplex : Africa maior, quæ vltra Atlantem, hodie AEthiopia, vbi *Proto-Chan* imperat. Africa minor hodie barbaria, quæ ad littus mediterraneum est.

Achaia hod. Liuadia, al. Leuadi
Regio Græciæ Sinum Atticum efficiens, ad AEgæum mare Huius incolæ vocabantur Achæi, & Achiui.

Armenia Regio Asiæ, estque duplex : Armenia maior hod. *Persarmenia, al. Turcmania* : Armenia minor vulgo Armenia dicitur, ad Euxinum & Caspium maria : Euphrates vtramque diuidit.

Ascania al. Lacus Ascanius, al. Palus Ascania, hod. Achsu, Lacus seu stagnum circa Nicæam Bithyniæ in Asia minore.

Archipelagus, al. Archipelago, al. Mare AEgæum. al. Mare Icarium, al. Asprathalassa, Das Weissemeer / Turcis Ac-Denici, *al. Arcipelazo*, pars maris Mediterranei insulis præcipuè Cycladibus nobilis.

Aladula al. Amandula
Mons Armeniæ.

Amasia Regio Natoliæ ad Euxinum continens Paphlagoniam Galatiam, & Cappadociam ad Trapezuntem vsque.

Amanus hod. Mons-Niger Schwartzberg.
Mons Asiæ Armeniam à Mesopotamia, & Cilicia diuidens.

Antitaurus, Mons Asiæ minoris, sic dictus, quod Taurum aspiciat, & in Cilicia Amano coniungitur.

Alsanto, al. Al-zanto, ol. Zanthus, al. Zanthe
Insula Mediterranei maris ad Cephaloniam, & Peloponnesum sub AEtolia, seu Græcia.

AEgymus al. Zerbas
Insula in mari Africo inter Galathen. & templum Apollinis.

Aldinelli regio Natoliæ inter AEgæum, Amasiam Caramaniam & Mediterraneum olim Pamphilia dicta à Metropoli.

B.

Babylon ol. Babel, hod. Bandas, al. Bandias, al. Bagadet, al. Bagadath, al. Baldach, al. Baldac, al. Felugo Metropolis olim Chaldææ, ad limites Persiæ, quam Tygris fl. mediam secat. (*Nam supra eam duo flumina confluunt*) ambitus fuit 12. miliar. altitudo muri 200. cubitorum, latitudo tanta, vt duo currus sibi obuiarent super eum, centum portas &c. Hodie vrbs noua ostenditur 9. miliaribus distans à verò loco veteris vrbis, & vocatur *Elugo*, seu *Felugo*, seu *Veluco*: vestigia veteris vrbis vocantur *Baldac*, communiter *Bagadeth*.

Belgrad, vide Alba &c.

Buda, vide Ofen.

Beduini sunt populi Arabiæ desertæ latrocinijs incumbentes, & viatoribus, qui sancta loca visitant admodum infensi.

Budinum

Metropolis Bulgariæ ad Danubij ripam.

Bursia al. Prusa, al. Prusia, al. Byrsa, hod. Burusa, ol. Bithynia, al. Brusia: Metropolis & sedes regum Bithyniæ, ad Olympum, & Propontidem in Asia. Thermas habet saluberrimas ad radices Olympi.

Buga vrbs Bursiæ vicina.

Borli. Sunt duæ huius nominis vrbes 1. Borly al. Borli vicina Ancyræ in Bithynia. 2. Tarachi-Borli vicina Sinopæ in Paphlagonia.

Barbaria hol. Biledulgerid pars Africæ ad Mediterraneum cuius limites sunt columnæ Herculis, Mediterraneum, AEgyptus, & Atlas. aliàs recensetur ad Lybiam Interiorem &c. breuiter. Totus ille tractus Maritimus qui olim vtramque Mauritaniam & Africam minorem continebat.

Brailoua, al. Brolouia, al. Brailona forsan corruptè, vrbs VVallachiæ superioris ad ripam Istri in monte sita, sedes VVeiuodæ.

Bulgaria

Regio Mysiæ, media inter Mysiam superiorem & inferiorem. Eius incolæ olim *Triballi*, item *Bulgari & Mysij*. Hinc *Mysiam & Bulgariam, & Triballos*, vt Synonyma vocant. Situs eius

est inter

est inter Vngariam, Macedoniam, Thraciam, & VVallachiam, sub Danubio qui ibi Ister mutato nomine dicitur.

Bosna al. Bosnia al. Bossena, al. Bossina penult. correpta, al. Wossen. Regio sub Sauo fluuio à Bosna fl. sic dicta. Eius limites ad Boream Sauus fl. seu Rasciæ pars, ad Occasum Croatia: ad Austrum Dalmatia (*al. Macedonia*) ad ortum Seroia, notantur. Bosna superior dicitur, quæ Croatiam attingit: Altera dicitur Bosna inferior. Oberwossen vnd Niederwossen.

Boli al. Bolli al. Panderatia, al. Spenderatia, al. Paphlagonia, Regio Asiæ minoris ad Euxinum pontum & Bosphorum.

Botana, fluuius circa Scutari, seu Scodrum in Epiro, stagnum, seu paludem efficiens.

Bosphorus, Est nomen quo communiter angustiæ maris efferri solent, vt 1. Bosphorus Cymerius est angustia maris Tauricam Chersonesum ab Asia diuidens, inter Mœotin, & Euxinum. 2. Bosphorus Thracius est angustia maris Constantinopolin seu Thraciam à Natolia diuidens, inter Euxinum, & Propontidem. 3. Bosphorus Phrygius, vsitatiùs Hellespontus, est angustia maris, Sestum & Abydum vrbes diuidens, inter Propontidem, & AEgæum mare. 4. Bosphorus Siculus, est angustia maris, inter Siciliam, & Italiam ad cuius littora sunt Scylla, & Charybdis.

Bolga al. Volga, al VVolga
Fluuius Rußiæ.

Borysthenes al. Neper, al. Nyper, al. Dercoz, al. Tergosth: fluuius Lituaniam, & Rußiam, Tartariamque diuideus.

C.

Cair vide Al-Cairum.

Calcis al. Chalcis.
Metropolis Eubœæ

Coron, Corona, Corone al. Coro, olim *Sparta*
Vrbs maritima Peloponesi. Est & alia huius nominis in Transyluania *Cronstad* ad VVallachiæ limites, & radices Alpium-Daciæ, al. *Pressouia*.

Curti al. Curtij, al. Cyrti, ol. Cadurchi, & Cardueni populi ad Assyriam

riam & Tygrim fl. inter Mediam & Mesopotamiam, & Armeniam. Nestorianismum hodie habent, & Turcis parent: ab his quidam Turcos dictos volunt, vt suo loco capite primo dictum.

Cosacci, al. Chosazi al. Kussacken / *al. Casocozen, al. Cassachi* id est, latrones, sunt milites vagi circa Nestrum collecti ex Polonis, Moldanis, Vngaris, & Moscovvitis: operam suam, mercedem sufficientem numeranti in bellicis negotijs præstant: ideo tam à Turcis, quàm Christianis conducuntur: viuunt ex perpetuis latrocinijs.

Constantinopolis al. Byzantium, al. Bisantz, hod. Stambol al. Stampoli, al. Eßstamboll/al. Roma-noua, Metropolis Thraciæ ad Bosphorum, & limites Europæ, in sinu Ceratio, sedes olim Imperatorum Orientis, hodie Turcorum. Sub Euxino ad Boream habet κόλπον κεράτων, & vltra eum sinum *Peram* vrbem, sepulcra Turcorum. Ad ortum habet Bosphorum Thracium & vltra eum Calcedonem, hodie Scutari vrbem in Asia sitam. Ad meridiem habet Propontidem. Ad occasum habet Thraciam, quæ hodie Romaniola.

In hac vrbe est Sarayo, seu Palatium, & aula *(quam portam vocant)* Turcici Sulthani.

Aiunt in hac 4492. plateas maiores 2985. minores 845. templa maiora 4492. minora seu sacella: 442. templa Christianorum: 418. diuersoria: 100. Xenodochia seu hospitalia: 895. Balnea: 947. puteos: 584. molas seu Molendinas: 20 fora 515. Scholas maiores: 1652 scholas minores: 24. portas inueniri. Ambitus eius 18. miliaria Italica seu $3\frac{1}{2}$ miliaria germanica æquare perhibetur, & in muro 360. Turres conspici. Anno Christi 334. al. 332 à Constantino Magno restaurata ampliata, & dedicata, 11. Maij & Roma-noua vocata cum prius Byzantium diceretur: vulgus verò Constantinopolim vocauit, quæ appellatio præualet. Anno Christi 1453. Mahometes II. eam expugnauit, & sedem Turcorum fecit. Hodie vastatoris vestigia præcipuè ostendit, plures autem vastatæ, quàm habitatæ plateæ visuntur.

Caffa al. Capha, al. Cophe. al. Coffe, ol. Theodosia vulgo Teudasia, al. Teudosia, corruptè Tendasia,

Vrbs

Vrbs Tauricæ Chersonesi ad Euxini littus, sedes regia Regis Tatarorum Præcopitarum.

Callipolis al. Gallipolis, al. Gallacrium, hod. Geliboli,
Vrbs Chersonesi in angulo, ad Hellespontum & Propontidem, à Callia Athenarum duce condita, & vocata, & non à Gallis, Euboico, & alijs id probantibus. Quin & Gallipolis est vrbs Calabriæ in Italia.

Calcedon al. Chalcedon hod. Scutarium Turcicè *Scutari seu I-schudar, al. Scudar, al. Ischuderet, al. Schuderet,*
Est vrbs Asiæ minoris ad littus Bosphori, Constantinopoli opposita. hod. castellum est, ad cuius latus Australe est munitissimum castrum, seu arx *Medina* vocata, quam Mahometes II. condidit, & ex ea Constantinopolim oppugnauit. Vrbs autem ipsa olim à Chalcedonensi concilio celebris.

Cæsaria hod. Caissaria, al. Gassaria, al. Gazaria,
Vrbs Natoliæ ad Ciliciæ, Licaoniæ, & Cappadociæ limites, ad radices *Antitauri.*

Caualo al. Cafala, al. Bucephalum, al. Cavvala,
vrbs Macedoniæ, vicina Philippis.

Columbacium al. Colombetz, al. Taubenberg / *al. Colombratio* : Oppidum olim Triballorum ad limites Seruiæ & Mysiæ, ad ripam Istri. Turci vocant hodie *Gugercitulic.*

Chaldæa hod. Keldan, Turcis *Curdistan, ol. Casdim*
Regio Asiæ ad Arabiæ limites, cuius metropolis Babylon.

Chiurli al. Chiorli, al. Tzurli, al. Zurulus, al. Zurolloë Non pagus sed vrbs hodie mercatura nobilis ad littus Propontidis.

Cerasus, al. Kureson, al. Omidio, al. Hemid, al. Emid
Vrbs ponti ad pontum Euxinum in Natolia.

Cutheia, al. Cutahige, al. Chute, al. Chuteio al. Chiutai, al. Kiuthai. Metropolis Phrygiæ maioris, sedes Beglerbegi Natoliæ, qui latinè dicitur præfectus prætoriorum Orientis.

Chiurlum, al. Chiurlun
Vrbs Media inter Adrianopolim, & Constantinopolim.

Chilia, al. Kiliat, al. Cilia, al. Cylia, al. Chelta, al. Lithostomum al. Achillea, al. Killia

Vrbs VValIachiæ maioris, ad littus Euxini, & ostia Danubij.

Castro Vrbs vicina Hydrunto.

Canea Vrbs Cretæ.

Casbin al. Cosbin, al. Kosvvin, al. Chasvvin, ol. Arsacia
Vrbs Mediæ Regia sedes Schachi Persiæ.

Castamon Vrbs circa Sinopen ad Euxinum in Paphlagonia.

Cosoua al. Casovva, al. Cosobo, al. Cassouia, al. Rigomezen, al. Amselfeldt/ Campus Merulæ, & campus Casouiæ. Planities magna ad Rasciæ, Seruiæ & Bulgariæ fines, & ad radices Orbeliæ montis, cuius longitudo 20000. & latitudo 5000. passuum, vndiquaque montibus cingitur, *Schitnitza* fl. mediam secat. ad cuius ripam ostenditur collis, qui creditur sepulcrum Amurathis primi cum intestina illic sepulta: corpus autem Bursiæ in Asia: aut si est sepulcrum, creditur esse Iacuppi, filij Amurathis, iussu fratris Baiazetis illic suffocati.

Ciambry fl. diuidens Triballos, & Mæsios Bonfinio referente.

Culpa al. Colapis, al. Kelpe, al. Cheulpe, al, Khilp, al. Colp
fluuius in Liburnia Oriens, & ad Siseccum in Sauum se exonerans, & latus Duropoliæ efficiens.

Canab al. Cars, al. Carasa, al. Canac
Fluuius Mediæ in Araxim se exonerans, adeoque Mediam, & Georgiam diuidens.

Caspium mare, al. Culzum-denezi, al. Beher-Cutzun al. Bohar-Corsun. al. mare Hircanum, al. Dabacuth, das Caspische oder Hircanische meer / *al. Mar-de-Bachu, al. Corazum al. Corsun. al. Chualenska, al. Cunzar. al. Terbestan.*
Mare miraculosum, quia lacum refert, cum nullibi adhæreat æquori, & tamen excipiat fluuios maximos, inter quos principatum obtinent, *Oxus hod. Ougus Iaxartes hod. Iayk & Rhaseu Volga* fluuij nauigabiles. Hircanum dicitur quod Hircaniam attingat. *Beher-Cutzlum* id est, mare rotundum, à forma dicitur Turcis, quod videlicet lacum seu paludem referat. Eius aquæ sunt dulces (*Ortelio verò salsæ.*) Amplitudine autem longè superat Euxinum pontum Ortelio teste.

Candia ol. Creta Insula Archipelagi vna ex Cycladibus.

Cithera

Cithera hod. Cerigo Insula Cretæ vicina sub Peloponneso Spartæ ferè opposita.

Corfu al. Corfun, al. Corfinium, ol. Corcyra. Insula ad Epirum in mari Mediterraneo littora Ciliciæ & Syriæ aspiciens, in ambitu 14. miliaria Germanica habet.

Cyprus al. Ciprus, al. Zypren, al. Zippern Insula in ambitu 14. miliaria Germanica referens.

Cephalenia, al. Cefalonia, Insula in Ambracio sinu ad Zanthen, Græciam, & Peloponnesum.

Cunobizus mons Bulgariæ, Hemo contiguus.

Caucasus, al. Grancasus parens montium Asiæ. Extenditur enim in omnes plagas mundi, & excipit Taurum, Amanum, Paropanisum, Coracem, Imaum, Emodium, Tagurum & plurimos alios montes: imo à Tanai & Euxino ad Sinarum vsque regionem excurrit secundum longitudinem: Latitudine verò penè totam Zonam temperatam obtendit.

Carpathus (mediam producit differentiæ causa, cum Carpathus media breui sit insula) *al. Tatri, al. Tatari* id est, das Rauchgebirg/ *al. Turzal* id est, das Kalegebirg.
Mons Vngariam & Transyluaniam à Polonia & Russia (*quæ Russia Poloniæ dicitur, regio inter Poloniam, Volhiniam, & Podoliam sita*) diuidens.

Calderani campi sunt planicies notissima in historicis circa Armeniæ limites. ad *Periardum* montem.

Caramania ol. Cilicia regio Asiæ ad Mediterraneum, patriâ Pauli notissima.

Cussestan regio est Assyriæ.

Chersonesus generaliter dicitur terræ angustia inter maria, Peninsulam efficiens. *Chersonesus Cymbrica est Dania.* 2. Chersonesus Taurica est Tatariæ Præcopiensis pars. 3. Chersonesus Thracia, seu Thraciæ est ad Hellespontum. 4. Chersonesus Græciæ, vsitatius Peloponnesus. 5 Chersonesus Byzantina, vsitatius κόλπος κεράτιος dicitur. 6. Chersonesus Halicarnas. vsitatius Doris dicitur.

Drusi, al Druzi, al. Truschi, al. Truzy sunt populi bellicosissimi in cauernis Libani qui gloriantur se esse de posteris Godfridi Bilionæi: fatentur

fatentur se esse Christianos, dum Christianismum profitentur, sed vita peiores sunt Turcis, dum pater suas filias, frater sororem, & matrem agnoscit, & ita pro coniugio horrendam confusionem libidinum habent. Hi tandem anno 1585. sub Amurathe III. incredibili sudore, labore, & astutia Ibrahimi-bassæ domiti Turcico iugo subiecti sunt; cum anteà ferè omnes reges, & Imperatores Turcici eos frustra oppugnauerint.

Dimoticum al. Demotica, al. Dimotuc, al. Didymotichum al. Dimetichum, al. Diametoco, al. Demetoc.

Vrbs amœnissima ad Euxini littus in Bessarabia celebris propter Chytropæos, & vasa fictilia, quæ inde per Turciam vehuntur. Leonclauius dicit eam esse in Græcia ad Hebrum fl.

Dardanelli al. Tardanelli

Sunt duæ arces se mutuo respicientes sub Propontide in Chersoneso Græciæ: condita à Mahomete II. Anno Christi 1453.

Demircapi al. Temircapi, al. Demir-Capi, hod. Capiderbenth, al. Derbenth, al. Capi-derbenth id est, porta ferrea, ol. Alexandria. Vrbs ad limites Bulgariæ & VVallachiæ oblonga, & munita ad portam ferream per quam in Scythiam itur. Leonclauius dicit arcem esse ad Caspium mare.

Dyrrachium, al. Dyrrhachium, hod. Durrazo, al. Durazzo vrbs Epiri ad littus Adriatici.

Diarbech ol. Mesopotamia, Turcis Almanacher,

Regio inter Tygrim, & Eufratem in Asia, vel ex Iacobi Patriarchæ historia nota.

Don ol. Tanais

Fluuius distinguens Europam, & Asiam, & exonerans se in Mœotin paludem, indeque in Euxinum.

Drauus al. Trauus, al. Draa, al. die Draw / *al.* Drawe al. Draue, al. Draua, *al. Mora, al. Trage, al.* Drag Fluuius ex Carinthia per Styriam fluens, & ad Dracath oppidum in Danubium se exonerans.

Danubius al. Ister, al. Tonaw / al. Donaw / al. Thona, Fluuius in Sueuia circa limites Heluetiæ, & Basileam ad pagum Doneschingen scaturit, indeq; Bauariam & Franconiam diuidens, & limites Bohemiæ attingens per Austriam, & Vngariam fluit, vsq; ad Albam-

bam-Græcam, vbi nomen amittit, & Ifter dicitur. Indeque Tranfyluaniam à Seruia, VVallachiam à Bulgaria, Myfia & Thracia diuidit. Tandem in Beffarabia feu VVallachia maiore per feptem oftia, mare Euxinum intrat. Eius oftia propriè fic vocantur. 1. Hieroftomon ad Kiliath vrbem, vbi Peucinorum infulas facit. 2. Narcoftomum. 3. Calloftomum. 4. Pfeudoftomum. 5. Borioftomum. 6. Stenoftomum. 7. Spireftomum, al. Tifagola fl. Hic fluuius Europæ primus eft, qui 60. nauigabilia flumina excipit, & verfus ortum rapit in Euxinum pontum.

Dacia hod. Tranfyluania, vide Tranfyluania.

Daciæ-alpes dicuntur montes inter Tranfyluaniam & Danubium, idq; differentiæ caufa, quia Alpes-Italiæ funt montes Italiam à Germania diftribuentes. Alpes autem Daciæ à Danubio feu Iftro ad Carpathum vfq; extenduntur, & ita Tranfyluaniam hi montes, inftar coronæ, cingunt.

Damafcus hod. Scham
Vrbs Syriæ ad Libanum montem.

E

Epirus hod. Albania, ol. Chaonia al. Moloßia
Regio Græciæ ad Adriaticum mare.

Eubœa hod. Nigroponto, al. Nigropontum
Infula AEgæi maris.

Euxinus pontus, al. Euxinum mare, Euxinisch meer hod. Maurothalaffa, Das Schwartzmeer / fic differentiæ caufa dicitur, & non quod nigras vndas habeat.
Maris Mediterranei pars. Longitudo eius eft 200. miliarium germanicorum: Latitudo 70. miliarium: εὔξεινον, quafi ἄξεινον dictum volunt. Ab arcto Marotim & bofphorum Cymmerium: ab ortu Colchidem & Trapezuntem (*vbi creditur cete Ionam prophetam expuiffe*) ab Auftro Afiam minorem: ab Occafu VVallachiam, vbi Danubium excipit.

Euphrates media longa, *al. Eufrates, al. Phrath, al. Pufrates al. Buphrates*
Fluuius Afiæ nobilis, oritur in Armenia fub Babylone, excipit Tygrim, clauditq; Mefopotamiam, & inde apud Balfara vrbem exonerat fe in finum Perficum.

Echinades hod. Curzolari.

Insulæ AEgæi maris.

Epidamnus hod. Durazzo, vide D.

F

Famagosta ol. Salamis, al. Salamina, al. Tamasus ol. Constantia Cypri, hod. Nicosia

Est Metropolis Cypri Insulæ ad littus maris sita, natura & arte munitissima,

Fünffkirchen *al. Quinquecclesiæ*, Turcis *Petschen*

Vrbs Vngariæ inferioris, non procul à ripa Draui.

Francki hoc nomine Turcos vocant omnes Christianos ex Italia, Gallia, Hispania viciniśque locis.

G

Gaur, al. Gafr. al. Gavvr, al. Chiafer, al. Giafir hoc nomine Turci nos Christianos vocant, præcipuè Germanos.

Georgiani ol. Iberi. al. Iberes, hod. Curggini, al. Kurki,

Populi inter Trapezuntem Euxinum, & Armeniam sic dicti à S. Georgio, quem patronum colunt. Dicuntur adhuc hodie retinere Christianismum etsi corruptum, & Turcis nondum subiecti.

Georgia al Georgiana, al. Curgiana, ol. Iberia, hod. Curchistan, al. Gurgista,

Regio iam dictorum populorum inter Mengreliam (*quæ Euxini littus tangit*) & Caspium, & magnam partem Armeniæ, & Colchidis, & Iberiæ complectitur.

Græci. al. Archiui, al. Argiui, al. Achæi, al. Graij, al. Pelasgi, hod. Veumlar,

Populi sub Danubio in sinu, qui est inter Adriaticum & Hellespontum.

Gran *Strigonium, al. Strigonia, al. Istrogran*

Vrbs Vngariæ inferioris ad littora Danubij à vicini fluuij ostio sic dicta: respectu munitionis secunda post Budam numeratur. Thermas habet saluberrimas. Fuit olim sedes Archiepiscopi Vngariæ qui custodiuit coronam, & regalia regni Vngarici.

Granus al. Strigon die Grane.

Fluuius Vngariæ superioris circa Gokarn in Danubium fluens, & nomen vicinæ vrbi tribuens.

Gomor-

Gomorra al. Gomoronium, al. Camora, al. Comara al. Komarn, al. Comorren

Vrbs munitiſsima in Inſula Danubij Vngariæ inferioris ad oſtium Vuagi fl.

Galatia

Regio Natoliæ inter Paphlagoniam, Cappadociam, & Bithyniam. Huius incolæ dicti ſunt Galatæ, ad quos Paulus Epiſtolam ſcripſit.

Galipoli Vrbecula Thraciæ ad Helleſpontum.

Golfo di Vinetia olim mare Adriaticum al. Sinus Venedicus. al. Mare Superum.

Galata vide Pera.

Galatha, al. Galathe, al. Golethe

Inſula & vrbs inter Maltam & Siciliam.

Gozum hod. Sacellum-Iunonis. Inſula Maltæ vicina.

Gerbe al. Gerby, ol. Menynx

Inſula maris Liguſtici circa Elbam, & Caprariam.

Georgij-brachium al. Sanct Jürgen arm / ol. *Barbyſes, hod. Pectin*

Lacus & fluuius Boſphori ſupra Conſtantinopolim.

H

Huſſari ſic equites Vngarici dicuntur die Hussären al. die reuterey.

Hydruntum al. Otranto, al. Odronto, ol. Iapygium

Vrbs Italiæ in Apulia ad littus Adriatici, vbi anguſtia maris Adriatici à Selona ad Hydruntum eſt 55000. paſſuum, ſeu vndecim miliarium germanicorum, à nautis iter vnius noctis cenſetur.

Heraclia hod. Panderatia.

Vrbs Ponti ad Euxinum, vicinæ regioni nomen ſuum tribuens.

Hexamilum murus fuit per Iſthmum Corinthiacum qui Iſthmus annectit Peloponneſum Græciæ, facitque peninſulam. Dicitur autem hexamilum quod longitudine ſua æquet ſex miliaria Italica, ſeu ſeſquimiliare germanicum, à ſinu Corinthiaco ad Megaricum. Hűc murum primò ædificauit Emanuel Palæologus

Anno Christi 1400. (*cum perfossionem Isthmi à Cæsaribus tribus, & vno rege, videlicet Demetrio, Iulio, Nerone, & Herode, frustra tentatum, irrito conatu denuo tentare nollet.*) Anno Christi 1445. Amurathes II. partem huius muri destruxit, & vi sibi viam in Peloponnesum ex Græcia fecit. Corinthij mox restituerunt. Anno Christi 1458. Mahometes II. totum destruxit, & Corinthum expugnauit. Anno Christi 1463. Christophorus Morus dux Venetus clasiarios suos, & 30000. murarios misit, qui hunc murum intra 15. dies (*lapides ex veteris muri ruderibus recolligentes ad celerandum opus*) restituit: ast eodem anno Mahometes II. eundem cum adhuc esset recens, & nondum satis coaluisset, deuastauit funditus, ita vt in hunc vsque diem non restitui posit.

Hellespontus dicitur angustum mare, Græciam à Natolia diuidens, eius latitudo est 1000. passuum, seu vnius miliaris Italici, seu Græci. Longitudo numeratur ab Archipelago ad Propontidem.

Hebrus hod. Mariza

Fluuius Hellesponti.

Hemus al. Emus, *al Hæmus, al. Cratouo, al. Kiratovvo* id est Silberberg. Mons Rhodopo & Orbeliæ montibus contiguus. Incipit à Mesembria, & extenditur in Macedoniam, & Thraciam, indeq; ad Varnam vsq;, facitq; valles amœniss. & feraciss. præcipuè apud Varnam.

I

Iayza al. Iaza

Vrbs Bosnæ in vertice montis sita ad Illyriæ fines, ferè inexpugnabilis. Duobus enim fluuijs cincta, & præcipitijs montium. Fluuij illi Miliasca, & Plena tandem sub vrbe confluunt, & inde in Sauum exonerantur.

Iaiza, al. Iaica, al. Geisa, al. Geiza, al. Chaiza,

Vrbs Transyluaniæ olim amplissima, vnde Transyluaniæ populi ad hanc habitantes *Iazyges* dicti, & ipsorum regio *Iazygia*.

Iazygia regio Transyluaniæ.

Iconium hod. Conia, al. Aladinia

Vrbs Natoliæ.

Isthmus dicitur angustia terræ inter duo maria, qualis est plerumque ad peninsulas.

K

Krabaten Croatia, al. Crovvatia

Regio inter Sauum fl. & Adriaticum mare, itemque ferè histria, & Bosna terminata, adeoque ad Dalmatiam.

L

Lepanto al. Lepantum ol. Naupactum, al. Naupactus, hod. Inecbachti.

Vrbs Græciæ in AEtoliæ sinu sub Epiro ad littus maris Adriatici, vbi incipit sinus Corinthiacus, qui inde ad Hexamilum vsq; extenditur. Quare non est in Peloponneso, seu Morea, sed tantum respicit Moream è regione oppositam.

Liuadia ol. Achaia regio Græciæ.

Lemnus hod. Stalimene Insula maris AEgæi Thraciæ opposita & Atho monti.

Lesbus al. Lesbos, hod. Methlia, al. Metelin: al. Metelinum, al. Mitylene, al. Metellinum.

Insula AEgæi maris.

Lezina, al, Lezyn ad Damatiam in Adriatico.

Lyssa al. Liza, Insula Lezinæ vicina.

Libanus, al. Lebanon, al. Lebano

Mons vel ex sacris literis satis notus.

M

Malta al. Melita, al. Melda, al. Melite

Insula ferè media inter Siciliam, & Africam.

Maronitæ populi Libani, Drusis mixti, à Marone Hæretico sic dicti: Turcorum hostes olim acerrimi, cum Drusis hodiè Tributarij.

Machan al. Macran Vrbs & regio ad sinum Persicum.

Mayto, al. Madytus, Vrbs ad Hellespontum.

Modon al. Methon, ol. Methona, al. Modona, al. Mantinea: Vrbs Peloponnesi fluuio intermedio in duas vrbes diuisa; vna dicitur Manti, hodiè Modon: altera Mantinea id est, noua Manti.

Megalopolis hod. Leontarium

Vrbs Peloponnesi.

Melatige al. Melatia, al. Malatia, al. Melitine, al. Melatin:

Vrbs Armeniæ maioris ad Euphratem fl.

Moncastro vide Alba-Nestri.

Mogacium, Mohatz, al. Mochatz. al. Mogata

Oppidum ad Danubij ripam, & Sarvvizæ fl. ostium, ferè medium inter Budam, & Belgradum.

Mongazium, al. Moncatium, alias Munkatz

Arx ad limites Transyluaniæ, vbi in Poloniam, & Austriam itur.

Mysia al. Mæsia, al. Mesia.

Regio maxima sub Istro in Europa, ideoq; diuiditur in Mysiam superiorem, & inferiorem. *Mysia superior* complectitur *Ratianos* die Ratzen: Seruiam superiorem, & inferiorem, seu Dardaniam, Rasciam, & Picensios. *Mysia inferior* complectitur *Bulgariam*, vbi & Triballos, adeoq; omne spatium à campo Casouiæ, vsque ad Varnam, & Euxinum pontum. Hæc qui obseruabit aliquo modo diuersissimas sententias, & explicationes aliorum conciliabit. Historici verò mirificè confundunt *Rascios, Ratianos, Seruios, Triballos, Bulgaros, Mysiosq;*.

Mysia, al. Misia

Regio Asiæ minoris seu Natoliæ ad Hellespontum & Propontidis partem, inter Bithyniam, Lydiam & Phrygiam. Hodiè Bursiæ annumeratur. Nam Bursia complectitur Pontum, Bithyniam, & Mysiam. Dicunt Mysios ex Europa in Asiam traiecisse, cum admodum angerentur, & ibidem in Natolia nouas sedes fixisse, vt ita Mysij in Europa & Asia habitarent.

Macedonia

Regio Europæ ad Thraciam, AEgæum mare, & Scardum montem. Emathia pars est Macedoniæ, vbi campi Philippi.

Moldauia al. Morodacia die Moldaw.

Regio VVallachiæ, Transyluaniæ, & Poloniæ contermina: Estq; duplex: Superior Moldauia dicitur, quæ Transyluaniam, & Poloniam tangit: Inferior Moldauia est, quæ Bessarabiam, & Nestrum tangit: Non igitur potest esse Transyluania.

Mesopotamia hod. Diarbech, al. Diarbekir, Turcis Amanacher:

Regio Asiæ inter Tygrim, & Eufratem fl.

Media hod. Siruan, al. Schirvvan, Turcis *VVaspracania*

Regio Asiæ maioris, ad Hircanum, & Caspium.

Morea vide Peloponnesus.

Magnesia al. Magrisia hod. Manisa

Regio & vrbs Natoliæ ad Meandrum fl. intelligiturque tota regio, Hellesponto annexa, videlicet Bithynia, Mysia, Phrygia, Ionia, Lydia, Caria, Doris. Alij dicunt & in Europa Macedoniæ prouinciam sic vocari.

Meander al. Mæandrus, hod. Madre

Fluuius Natoliæ, ex Celæno monte fluens, sub Colossis Lycum fl. excipit, & sub Ephesо mare AEgæum intrat, & Samum insulam ferit.

Mora Fluuius Morauiam, & Vngariam diuidens.

Morossus al. Marysus, al. Marissus, al. Marus, al. Maros, die Mörisch / *al. Marasi, al. Marasius,* der Mörsch.

Fluuius Transyluaniæ ex Carpathi radice erumpens, Albam-Iuliam ferè alluens, indeque Lippam præterlabitur, & sub Mako oppido in Tibiscum se exonerat.

Mare mediterraneum, mare magnum est, quod longitudine sua à columnis Herculis ad Palæstinam vsq; Europam, & Africã diuidit: Brachio autem ex AEgæo in Tanain extenso, Europam ab Asia diuidit, varia autem & diuersa nomina sortiur, à diuersis regionibus, quas alluit. Nam Hispanicum, sub Hispania: Gallicum sub Gallia, Ligusticum, Tyrrhenum, al. Toscanum, Sardoum, Corsicum, Siculum, sub Italia: Adriaticum (*quod & mare superum, item Golfo di Venetia id est, sinus Venedicus*) dicitur brachium ad Venetias vsque extensum: postea Epiroticum sub Epiro: Græcum sub Græcia: Ambracius sinus sub AEtolia: Corinthiacus sinus, qui ad Isthmum vsq; extenditur, & Megaricus sinus, qui ab Oriente opponitur Corinthiaco sinui, & Athenas alluit. Hinc effundit brachium versus Boream id est, ex AEgæo mari Insulis referto Hellespontũ, Propontidem, Bosphorum, Thraciam, Euxinum pontum, Bosphorũ Cymmerium Mæotim paludem in Tanain vsque se extendit, & Asiam ab Europa dispescit. Ab AEgæo mari extenditur versus Ortum, & vocatur Creticum, Rhodium, Cyprium, & sinus Issicus (*qui Issum vrbem & Amanum montem alluit*) Hinc versus Austrum descendendo

dendo vocatur mare Syriacum, Phœnicium, Samariæ, Iudææ, Philistinorum & AEgyptium. Inde versus Occasum ad columnas Herculis, mare Africum, Punicum, & Libycum. Huius maris consideratio difficillima videtur, eò quod nouissima & diuersissimis nominibus vocetur.

Mariza ol. Hebrus, al. Moriza

Fluuius Thraciæ ex Rulla, seu Rhodope monte Philippopolim profluens, & supra Adrianopolim Coprisam fluuium excipiens, ad *Oenum* vrbem, & Portum Album in AEgæum mare fluit, & suo cursu Chersonesum Hellesponti claudit. & excipit quatuor alios fluuiolos.

Mecha al. Mecca al. Motte al. Macche

Vrbs Arabiæ felicis, patria Mahometi, vicina Edæ fl. sita ad limites Arabiæ desertæ & felicis in arenoso loco, tridui itinere distans à Medina.

Medina al. Al-Medina, al. Madina al. Medina-Talnabi.

Vrbs Arabiæ desertæ, in qua Mahometh docuit, postquam ex Mecha fugit sita ad littus Sinus Arabici.

Mengrelia al. Colchis, al. Iberia

Regio ad Euxinum, Iberiam, Colchidem, & Albaniam comprehendens, sed tamen ita, vt partem aliquam de his terris Georgiani habeant.

N

Naupactum vide Lepanto.

Nesmel, al. Nesmil.

Vicus ad ripam Danubij inter Iaurinum, & Strigonium.

Nauarrinum ol. Pylus hod. Iuncum, al. Gianco

Vrbs Peloponnesi.

Nouomontum al. Nouamont

Vrbs Seruiæ superioris, ferè ad Scaturigines Drinæ fl.

Nicæa hod. Isnic, al. I-snick, ol. Antigonia, al. Schnyck al. Isnich, al, etiam Patauium vocarunt.

Metropolis Bithyniæ à Nice Lisymachi vxore: Antigonia ante ab Antigono rege dicta; cócilio & symbolo Nicæno nobilis hodiè.

Nicomedia hod. Isnigimid, al. Ismid, al. Comidus, al. Nichor

Vrbs

Vrbs Bithyniæ ad Propontidis littus, Aſcanius lacus (*ſeu lacus Aſcania*) medius ferè eſt inter Nicæam & Nicomediam. Ad Nicæam enim colligitur, & inde flectit curſum verſum Nicomediam, mox tamen reflectit, & in Propontidem ſe exonerat.

Nicoſia vide Famaguſta.

Nicopolis hod. Nigeboli, al. Preueza

Vrbs Bulgariæ, quam Iſter mediã ſecat: pars vrbis quæ VVallachiam tangit, dicitur Nicopolis ſuperior ſeu maior, à Traiano condita: Pars quæ ſub Danubio in Bulgaria eſt, dicitur Nicopolis inferior, ſeu minor ab Adriano condita. Hinc quidam dicunt eam eſſe Bulgariæ, quidam VVallachiæ vrbem. Diuerſitas igitur illa facilè conciliabitur. Alia eſt enim Nicopolis in Cappadocia.

Nyſſa, *al. Niza*

Vrbs Cariæ, Epheſino Epiſcopo ſubdita.

Natolia rectiùs *Anatolia*, olim *Aſia minor*.

Regio in flexuram brachij maris Mediterranei ab Eufrate extenſa. Clauditur enim Euxino ad Boream: Helleſponto & AEgæo ad Occaſum: Rhodio & Cyprio mari ad Auſtrum: Eufrate ad Ortum.

Eius regiones olim fuerunt: Armenia minor, Bithynia, Cappadocia, Caria, Cilicia, Commagena, Dotis, Galatia, Ionia, Lycaonia, Lydia, Lycia, Meonia, Myſia, Pamphilia, Paphlagonia, Piſidia, Phrygia, Trapezus.

Hodie verò Turci tantum in tres partes diuidunt dictas regiones, videlicet, in Amaſiam, quæ ſub Euxino à Chalcedone ad Trapezuntem: 2. Magneſiam quæ ad Helleſpontum: 3. Caramaniam quæ reliquam partem, videlicet, Lyciam, Pamphiliam, Ciliciam, Commagenam, & Armeniam minorem complectitur. Leonclauius ſeipſum valde confundit in huius explicatione.

Nigropont vide Eubœa.

O

Othomanech al. Othomanes, al. Othomancicum hod. Othmangiach:

Vrbs Paphlagoniæ ſub Sinope ad fluuium Zaliſcum qui ſub Sinope in Euxinum cadit: olim pagus: Othomanus verò vrbem fecit.

Othomania regio huic vrbi vicina : complectitur pontum, & Paphlagoniam, adeoque bonam partem Bithyniæ, & Galatiæ, terras videlicet quas Othomanus primò subegit.

Ovvar Germa. Vngrisch Altenburgk.

Vrbs Vngariæ inferioris ad ripam Danubij excurrentis & ad ostium Leyræ fl. ad limites Austriæ.

Ofen Buda

Metropolis Vngariæ, & sedes regum, à Thermis quibus facile omnes regiones superat Buda, quasi Bada pro Badà Germanis dicta. Etsi Iouius à Buda Attilæ fratre vocari contendat. Munitissima est vrbs, quæ exundationes Danubij non curat, vtpote in editiore agro, seu potius colle sita. Inter Thermas vna piscina callida est, quæ à feruidiss. aquis *Purgatorium* vocatur.

Pestum al. Pest est opposita pars in Vngaria superiore.

Budam enim & Pestum Danubius saltem diuidit: ponte nauali coniunguntur.

Petrina al. Petrinia

Castellum munitissimum ad Colapim circa Siseccum in Croatia à Turcis contra Christianos ædificatum in vertice collis, ad ripam Culpæ seu Colapis, & Duropoliam respicit.

Presburg al. Posonium, al. Bregetium

Vrbs & sedes Episcopi Vngariæ superioris, ad limites Austriæ, ~~sita in colle~~ ad ripam Danubij.

Pera al. Galata.

Insula dicitur vulgò, cum tamen sit Peninsula, seu Chersonesus, inter Euxinum, & Pectin lacum, Constantinopoli opposita. In hac Turci sepulcra sua habent.

Propontis hod. Mar di Marmora.

Palota, al. Palotta, al. Pollotta

Vrbs Vngariæ inferioris 8 meill von Rab/ 2. meill von Stullweissenburgk/sita in colle Verthis montis.

Pontus hod. Zenic, al. Genic, al. Chenic, al. Chenigo

Regio ad pontum Euxinum, & Bosphorum Thracium contermina Bithyniæ, Galatiæ, & Paphlagoniæ.

Paphla-

Paphlagonia hod. Panderatia al. Bolli. al. Pentheracia
Regio ad pontum Euxinum, cuius metropolis est Synope. Hodiè annumeratur Amasiæ regno.

Peloponnesus hod. Morea, al. Apia
Peninsula est Græciæ, cui adnectitur Isthmus, quem Demetrius, Iulius & Nero Cæsares perfodere conati sunt, & ex Peninsula Insulam facere.

Panisus fl. ad radices Hemi oritur, & in Euxinum fluit.

Pannonius hod. Verthes
Mons Iaurino vicinus, incipit circa castellum S. Martini & extenditur vsque in Albam-regalem, & Strigonium ab hoc monte Vngaria olim Pannonia dicta.

Persia hod. Farsis, al. Pharsi
Regio Asiæ satis nota.

Porphyria hod. Hayphe, al. Chayphe, al. Cayphe
Vrbs Palæstinæ, ad Carmeli montis radices.

Prusa vide Bursia.

Panormus hodie Palormo
Vrbs Bithyniæ, vina optima generans.

Plagiari pagus Callipoli in Chersoneso vicinus, vbi Solymanus filius Orchanis sepultus dicitur. Nullum verò monumentum illic hodie inuenitur, etsi quædam vestigia: vnde patet eum vel vulgariter sepultum, vel monumentum à Græcis dirutum.

Polonia Polen à Pole id est, planicie sic dicitur, quod nimirum plana sit terra, montes & valles nesciens. Maior Polonia dicitur quæ Boream: Minor quæ Austrum spectat. Maioris metropolis est Posnauia & post hanc Gnesna. Minoris metropolis est Cracouia ad caput vistulæ, quæ regionem diuidit.

Pamphilia hod. Scauri Regio Natoliæ.

Pazinaces dicuntur incolæ Bosnæ à Turcis.

R

Rab. al. Raab, al. Iaurinum, hod. Jawr/ *al.*/ Gewr
Propugnaculum munitissimum Vngariæ ad Danubij excursum.

Rab: Rabus, ol. Arrabo, seu Narrabon penult. correpta Fluuius Vngariæ ad cuius ostium est arx munitissima, Danubij vndis cincta, & à fluuio *Rab* vocata.

Rodope, al. Rhodopus, hod. Rulla

Mons Bulgariam à Macedonia & Thracia diuidens, extenditur à Rascia ad Varnam vsque.

Romaniola, al. Romania, hod. Rumuli, ol. Thracia

Hoc nomine Turci totam Græciam intelligunt in genere, aliàs in specie Thraciam sic dicunt.

Ramala ol. Ramath, al. Ramathaim Zophim

Vrbs Palæstinæ patria Samuelis, ex sacris nota.

Rascia

est pars Seruiæ superioris, ad Cassouiæ campos.

Ratiani vulgò die Ratzen:

Populi Mysiæ superioris ad Sauum, & Drynæ ostium. Rascia superior est pars VVallachiæ minoris. Rascia inferior est in Dardania, ad Rodopen. Ratiani verò sunt inter Sauum, Drauum, & Danubium.

S

Suriani al. Soriani

Populi sparsi per Palæstinam, qui profitentur aliquo modo Christianismum, à Turcis autem valde premuntur.

Seruia, al. Siruia, al. Sirfen, al. Zirfen, ol. Dardania

Regio Mysiæ. Seruia superior est, quæ Danubium & Ratianos attingit: Seruia inferior, quæ Rasciam, & Dalmatiam tangit, vide Mysia. An hi ad Lusitaniam peruenerint, & Zorbeb, & Zerbst ædificauerint, probent qui dicunt.

Scodra al. Scutari, al. Schutri, al. Scudry, al. Droia

Vrbs Epiri seu Albaniæ ad lacũ Bæsona, circa Dalmatiæ limites.

Selona vide Anlona.

Scham, ol. Damascus, hod. Seiam, al. Szam

Vrbs Syriæ nota.

Sparta, al. Misitra, al. Coro, hod. Coron, al. Corona

Emporium Peloponnesi maritimum, seu ad littus maris, vide *Corona.*

Sigethum, al. Zigethum, al. Zygeth, al. Sigeth, hod. Sasvvar

Vrbs munitissima Vngariæ inferioris ad Drauum fl. vnde tota regio dicitur comitatus Zigethi. Sita est in paludoso loco, aquis vndiq; cincta.

Sarcum

Sarcum Regio Natoliæ ad Hellespontum olim Phrygia & Mysia.

Sinope, al. Synope:
Vrbs Paphlagoniæ ad littus Euxini maris, sedes Archiepiscopi Amasiæ.

Scopia, al. Scupia, al. Schopy:
Vrbs Rasciorum munitissima ad Rhodopen montem, & VVardarum fl.

Sinderouia, al Synderovv id est, S. Andreas, al. Singidunum al. Spenderebe, al. Simandria, al. Samandria, al. Sunderouium, hod. Zendrow.
Metropolis Ratianorum, seu Seruiæ inferioris, ad ripam Danubij sita.

Sophia, ol. Sardacia
Vrbs Bulgariæ in Mysia, à Iustiniano restaurata, & pretioso templo in honorem S. Sophiæ exornata. Sita est ad Rhodopen montem, ad viam regiam superiorem, quæ ducit ex Vngaria in Thraciam, Sechs tagreiß von der Donaw. Alia est ad Adriaticum mare, de qua hic nihil.

Sabatz, al. Sciabacium, al. Sauatium, al. Sabatium
Castellum munitissimum ad Saui ripam à Turcis contra Vngaros exstructum.

Soguthа, al. Itea-vicus id est, Weidenstadt / *salicum vicus al. Soguth-Iug, al. Sogut-Gai, al. Soguth-zug* Vicus Paphlagoniæ seu Cappadociæ 250. stadijs ab Euxini littore ad limites Paphlagoniæ, & Cappadociæ, ad ripam Soguthi fl. nobilis propter Othomanum, cuius patria est. Nam in hoc habitauit Zichus pater Delini, qui Othomanus ab Othomancico oppido, ab Aladino donatus, dictus, vt suo loco monui. Leonclauius dicit in Mysia esse, & tamen ad Soguthum fl. quod non conuenire videtur.

Siuas ol. Sebastia, al. Seuastia, al. Syvvasti, al. Sivvastus, al. Siba, al. Augusta, al. Sebastopolis:
Vrbs olim Episcopalis ad Cappadociæ & Armeniæ minoris limites, ad radices Scordisci montis.

Salina, al. Saltzberg.
Vrbs Cypri 3 meill von Nicosia.

Syria hod, Sori, al. Soria, al. Sora, al. Assan, al. Azam
Regio Asiæ nota.

Sclauonia, al. Illyria, al. Illyrium, al. Illyris, al. Windischmeer / *al. VVinidarum-Marchia, al. Liburnia*

Regio ad Adriaticum, & Dalmatiam: complectitur Histriam, Carniolam, Duropolium, Croatiam, & Lyburniam. Eius termini sunt forum-Iulij, Adriaticum, Dalmatia, Bosnia, & Drauus id est, Sauus eam quasi secat ab Orientali parte.

Sangaris, al. Sangarius, al. Sagaris, al. Zacari, Turcis *Zachri, aut Sacare, al. Sagarius*

Fluuius in Phrygia maiore ad Didymum montem erumpens, & inde sinuoso cursu per Bithyniam & Pontum in Euxinum fluit.

Stella hod. Appadi:

Mons Armeniæ minoris, Antitaurum respiciens.

Sur, olim Tyrus, vrbs Galilææ nota.

T

Temesium, al. Temesvvar

Vrbs Vngariæ ad limites Transyluaniæ.

Tigris hod. Hithchel, forsan Hidekel

Fluuius Asiæ Armeniam à Mesopotamia diuidens.

Tatari, al. Tattari, al. Tartari, Scythæ

Hodie præcipuè triplices. 1. Casani, & Astracani ad Moscouiæ limites, & Volgum fl. 2. Præcopienses seu Præcopitæ, qui ad Tauricam Chersonesum, & Tanaim fl. 3. Crimnicenses, qui ad Podoliam, & Nestrum fl.

Alij quatuor genera faciunt, & prioribus addunt Zehaloenses, qui ad Caspium mare, in Iberia, & Colchide sunt: & Astracanis annumerant Nohacenses.

Leonclauius decem genera facit. 1. Mogli, seu Mongli. 2. Sumongli, qui ad Tatarum fl. à quo nomen acceperunt. 3. Tangori, vel Tanchori, vel Tancari. 4. Chataini vel Chitaini. 5. Nogai, qui al. Nohacenses. 6. Cosan qui al. Casani. 7. Astracan. 8 Præcop, qui aliter Præcopitæ. 9. Kerai. 10. Descht, die Weissen Tatern in Taurica Chersoneso.

Trusi al. Truschi, vide Drusi.

Tauris, al. Teuris, al. Tevvris, al. Tefris, al. Tebris, al. Ecbatana.

Tanais hod. Don. fluuius Europam & Asiam sub Boreo limite diuidens & in

& in Meotidis paludem se exonerans indeque in Euxinum.

Vrbs Media ad Zagri, & Iasonij montium contingentiam, & non ad Eufratem sita, à quo fluuio distat itinere 20. dierum.

Trapezus, al. Trapezuntum, al. Trabisonda, al. Tarabosan, hod. Tarabosane, al. Trasybonda

Metropolis olim Cappadociæ, sedesque imperatoria, ad littus Euxini maris.

Tripolis hod. Taraboli, al. Tarabolos, al. Tarapoli, ol. Leptis:

Emporium nobile in Syria, seu Syrophœnicia, ad littus mediterranei, & ostium Orontis fl. à mercatoribus quibusdam vocatur *Tentrania.* Est & vrbs huius nominis, quæ tum in Africa, & etiam maritima.

Turcomania regio ad Georgianam, & Armeniam maiorem à Turcis sic vocata, præcipuè Armeniam maiorem comprehendens.

Teuthrania. al. Teutrania, hod. Terapolis

Regio Syriæ circa Tripolim.

Thessalonica, hod. Salonich

Macedoniæ vrbs Termis, & Epistolis Pauli nobilis, eò quod emporium celebre ad littus AEgæi maris.

Toccaium, al. Tockey, al. Doggai, al. Daggei

Arx munitissima ad limites Vngariæ & Transyluaniæ, ad confluentiam VVodragi, & Tibisci (Bodrog & Teiß) in comitatu Zepusiensi.

Thunis, al. Tunetum, al. Thunisi, al. Thynissa, ol. Carthago, al. Carchedon:

Vrbs Africæ minoris ad littus mediterraneum, in Pœnorum regione.

Temircapi, vide Demircapi.

Transyluania al. Vltrasyluania. ol. Dacia ripensis. al. Pannodacia. al. Iazygia Siebenbürgen *hod. Erdel.*

præcipua olim regio Daciæ. Dacia enim habuit Transyluaniam, Transalpinam, & Moldauiam. Regio vndique montibus septa, videlicet, Alpibus Daciæ, Sarmaticis iugis, & Capatho monte. Cum Vngari post Lombardicum bellum, ex Scythia redirent, & Daciam ab exteris *(Gothis)* occupari sentirent, in Transyluaniam cum vxoribus, liberis, & pecoribus castra sua

erexerunt, eaque in septem partes, seu cateruas diuiserunt, & septem duces sibi elegerunt. 1. Arpadum. 2. Zabolchum 3. Iulium (*à quo Alba-Iulia nomen adhuc habet*) seu Giulam. 4. Keuundum. 5. Lechelum. 6. Berbulchum, seu VVerbulchum. 7. Vrsum. Inde nomen innotuit septem castrorum, quod Germani Siebenbürgen interpreтati sunt.

Transalpina est regio seu pars Transyluaniæ ad VVallachiam minorem, & Alpes Daciæ. & Danubij ripam.

***Taurica-Chersonesus** hod. Chazaria, ol. Theodosia*

Peninsula inter Mœotin & Euxinum ad Bosphorum Cymmerium, à Metropoli Capha, quæ olim Theodosia dicta, dicitur, etiam Theodesia à quibusdam. Eius longitudo est 24. miliarium: latitudo 15. miliarium Germanicorum; Hodie Præcopitæ Tatari eam incolunt.

***Thracia** hod. Rumuli, al. Romaniola, al. Romania*

Regio Rhodope Macedonia, & Propontide determinata, vel Euxino, Propontide, AEgæo, Macedonia, Pannonia & Hæmo determinata. Regio nec cœlo nec solo læta, montibus abundat quorum præcipui sunt Hæmus, Rhodope, Orbelus, & Pangæus, ad Austrum fert vina optima quæ Rummeny vocari aiunt.

***Tibiscus**, al. Tissa, al. Dyssa,* die Teiß/ *Teissa, al. Titza, ol. Parissus.*

Fluuius Daciam à Pannonia diuidens.

Taurus

Mons Asiæ Armeniam, & Mesopotamiam diuidens, vt Ciliciam, & Commagenam Antitaurus.

***Toganus** hod. Zogan al. Zoga.*

Mons Thraciæ amœnissimus, & vini & frugum feracissimus, in quo Turcici Sulthani recreandi gratia crebro versantur.

***Tiflis**, al. Tiphlis, al. Tyflis*

Vrbs Armeniæ Maioris sed Georgianis subiecta.

V

***Vizzegrad**, al. Vischegrath* germ. Plindeburg

Arx munitissima ad ripam Danubij inter Budam, & Strigonium, à Matthia Coruino, al. Huniade exstructa in vertice præcipitis montis, in modum munitionum Italiæ.

Vesprinum al. Vesprinium, al. VVesprym

Vrbs Vngariæ, vicina Albæ-regali, sita in colle dicta à candido seu albicante fonte, qui ad collis radices est: dicitur quasi Weissbrun referente Iouio: Dicitur magna, sed non ita munita.

Varna al. VVarna al. VVarna, ol. Dionysopolis

Vrbs amœnissima in valle ad radices Hemi, seu Rhodopi (*Hemus & Rhodopus enim ibi coincidunt*) ad sinum ponti Euxini: versus pontum habet colles vitibus nobiles: in vallibus verò versus Hemum frugum feracissima est regio, & pagis referta: versus Galatam promontorium, planè paludosus locus est, & quasi inaccessus.

Vlubat al. Lapadi, ol. Lopadium, al. Leopodium,

Vrbs vel oppidum Bithyniæ.

Vngaria, olim Pannonia

Regio de qua disceptatur inter Christianos & Turcos. Olim Pannoniæ pars, videlicet Pannonia inferior (*Nam superior Pannonia est Austria, Styria, & Carinthia*) vel à Pane DEO pastorum, vel Pœone Anturi filio, vel Pannonio monte sic dicta.

Vngaria:
- Superior dicitur pars illa quæ supra Danubium Moraviam, Poloniam, & Transyluaniam tangit die Bergstete à fodinis metallicis dicunt.
- Inferior dicitur pars sub Danubio, Drauo determinata. Quamuis non desit, qui putet superiorem Vngariam esse, quæ Temesium habet. Inferiorem quæ Austriam tangit.

Volga al. Rha, al. Edel, al. VVolga, al. Bolga

Fluuius Asiæ Tataros à Moscovvitis diuidens, Perondino teste. Oritur ex communi fonte cum Duina fl. & Boristhene seu Neper, qui fons hodiè lacus Voloc vocatur. Volga autem in Caspium se exonerat, reliqui duo in Euxinum.

VV

VVallachia

Regio inter Danubium, & Nestrum, Euxinum & alpes Daciæ. Estque duplex: VVallachia minor, quæ & superior dicitur, eò

quod ad Alpes Daciæ eminentiore loco. Huius prouinciæ sunt Rascia superior, VVallachia superior, & Transalpina. 2. VVallachia maior, quæ & inferior, eò quod Euxinum decliui loco spectet. Huius Prouinciæ sunt Moldauia, Bessarabia, item Caucaensij, Piarensij, & Peucini populi.

VVihitz, al. VVichitz

Vrbs munitissima ad limites Croatiæ, & Bosniæ in paludoso loco, & Vna fl. ibi Insulam efficiens, eam vtrinque cingit.

Z

Zoynich al. Zonicum

Oppidum Rasciæ metallicis fodinis celebre.

Zorli

Arx munitissima, Calli vicina in Chersoneso.

Zemakie, al. Semachie, al. Sumakie

Vrbs ad Caspium mare.

Zante al. Zazynthus

Insula Ionij, seu AEgæi maris.

Zerbi insula maris mediterranei, olim Lothophagitis, & Africam aspicit.

FINIS.

ERRATA.

fol.12.lin.18.l. מַה הוּא מֵת *ibid. lin. 20. l. sua, vt comma ponatur post sua. fol.14.lin.9. testatur l. testabatur. ibid. lin. 24. quæ l. quasi. ibid.. lin. 27. Nossent, lege nosset, & include ea verba parenthesi (vt qui nec legere nec scribere nosset) amanuenses enim sine dubio fuerunt docti. fol. 24. lin. 8. sic lege: Soffi, id est, cantores (soffus enim est cantor) in Moschæa &c. fol. 25. lin. 6. Nubatores l. Turbatores. fol. 32. lin. 19. Pontem l. Ponte in. fol. 34. lin. 10. Insere Ne ante* δωροφάγο. *fol. 37. lin. 18. Othomam l. Othomani. fol. 44. lin. 13. Pannei l. parent ei. fol. 45. lin. 34. Coran l. Capan. ibid. lin. 35. Temesmet l. Temesvvar. ibid. lin. 39. Lipu l. Lippa. ibidem Semendui l. Semendrin.*

mendrin. fol.46.lin.27.Lucentis lunæ l.lucente luna.fol.47.lin.24. Supple verbum vtuntur.fol.54.lin.21.Parapiriacius l.Parapinacius, fol.64.lin.21. Sic distingue Imperatores

Imperatores	*Orientis seu Bizantini*	*Andronicus pater*
		Andronicus Filius
	Occidentis seu Romani	*Henricus VII.*
		Ludoicus IIII.

fol.69. lin.3. Beleζno l. Beleζug. fol. 71. lin.72. Hidryn l. Hildryn. fol.72.lin.26.iungi l.iungit. fol.73.lin.11.Baiacetes in sua deleatur in. ibid.lin.30.Vtrumq; l.vtcunq;. fol.74.lin.6.Sigismundi l. Sigismundum. fol.76. lin.20.Commoranti l. Byrsæ commoranti. fol. 80. lin. 6.Frislanam l.Frislariam. ibid.lin.30.Sex l.æquet Sex.fol. 83. lin.11. In capitolini l. Tu capitolini. ibid. lin.13. Extremum l. non extremum membrum. fol. 88.lin.10. Ionco l.Ianco. fol.126.lin.25. Kilial l. Kiliat. fol.134.lin.1. Antonium l. Andream.

Similia errata bonus lector ipse candidè corriget.




INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.

